

UNIVERSITÄT
ZÜRICH

Hc. 140^a.

DISSERTATIO INAUGVRALIS,
EXHIBENS
PARALIPOMENA
AD
HISTORIAM DOCTRINAE
DE ASSOCIATIONE
IDEARVM,

QVAM
EX DECRETO
AMPLISSIMI ORDINIS
PHILOSOPHICI,

PRAESIDE
IOANNE AVGVSTO EBERHARD,

PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ET ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALI,

PRO

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS,

ERVDITORVM EXAMINI

SVMITTIT

IO, GEBHARD EHRENREICH MAASS,
HALBERSTADIENSIS.

AD DIEM XXVII OCT. MDCCLXXXVII.

HALAE,
FORMIS IO. GODOF. HELLERIANIS.

**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**

V I R O
PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO,
D O M I N O
CAROL. CHRISTOPHORO
DE HOFFMANN,
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
CANCELLARIO,
AVGVSTISSIMO BORVSSIAE REGI
A CONSILIIIS INTIMIS,
SERENISSIMO PRINCIPI HENRICO
A REGIMINE CVRIAE,
QVAE RES CAMERALES DIRIGIT,
DYNASTAE IN DIESKAV
ET BRVCKDORFF,

E T
VIRO CELEBERRIMO,
IO. AVGVSTO EBERHARD,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PHILOSOPHIAE PROFESSORI
PVBLICO ORDINARIO,
ACADEMIAE SCIENTIARVM
BEROLINENSIS SODALI,

NEC NON
VIRO SVMME VENERANDO
AVGVSTO HERMANNO
NIEMEYER,
IN REGIA FRIDERICIANA
THEOLOGIAE PROFESSORI
PVBLICO ORDINARIO,
PAEDAGOGII ET ORPHANOTROPHEI
CONDIRECTORI,
SEMINARII THEOLOGICI INSPECTORI,
LIBELLVM HVNC
IN REVERENTIAE AC PIETATIS DOCVMENTVM,
D. D. D.
A V C T O R.

10

V. L. S. O.
REINHOLD WOLFF
D. O. M. I. O.
CAROL-CHRISTOPH
D. H. O. F. M. A. N. N.

A. A. B. I. L. I. T. A. T. I. O. N.
A. V. A. N. T. I. C. I. T. A. T. I. O.
A. O. U. T. L. I. N. G. A. T. I. O.
S. E. R. V. I. S. I. N. G. I. U. M.
A. R. E. G. I. M. I. N. I. S. T. R. A.
D. A. T. U. M. I. N. T. E. R. M. I. N.

I. O. A. N. N. I. S. T. R. A. T. I. O.
I. N. T. E. R. I. M. A. T. I. O.
T. H. E. O. R. E. T. I. C. A. L.
A. C. A. D. E. M. I. A.
B. E. R. O. L. I. N. G. I. U. M.

D. I. V. I. S. I. O. N. E.
I. N. T. E. R. I. M. A. T. I. O.
I. N. T. E. R. I. M. A. T. I. O.
I. N. T. E. R. I. M. A. T. I. O.
I. N. T. E. R. I. M. A. T. I. O.
I. N. T. E. R. I. M. A. T. I. O.

§. I.

Inter plurima gravissimi momenti praecepta, quae antiquitus tradita accepimus, praecipuum locum ei esse concedendum, quod tribus haece verbis: *nosce te ipsum!* absolvitur, facili negotio intelligi potest. Quid enim homine homini conjunctius? Quid dignius ad quod rite cognoscendum omnem impendat operam, assiduoque studio incumbat? Nullo quidem modo rectam beatamque vivendi rationem instituire valemus, si in nostra quasi domo exulantes, quid salutis nostrae conveniat, quid non, ignoramus. Instar sumus nautae, qui cum neque remorum noverit naturam, neque gubernaculi, cuius vento agitandam tradit navem, atque Scyllam inter et Charybdim versandam. Cum vero tot tantaque consideranda occurrant in hominum natura, ut non omnia omnes, vel per ingenium suum, vel per conditiones, quibus utuntur, externas, in-

A vesti-

investigare possint, vulgo ea cognovisse sufficit, quae prae caeteris sunt maximi ponderis. Quorum quidem numero phantasia adscribere, nemo sane dubitabit. Quod si enim ejus imperii, quam late patet, rigidi memores inde ab omni aevo fuissent homines, absona multa, salutique suae prorsus contraria, neque fecissent neque credidissent, quae fecisse atque credidisse historia accusantur ^{a)}. Quae cum ita sint oleum et operam perdidisse minime credendus est, qui ad augendam scientiam de hac hominum facultate, vim non mediocrem inde a primis cunabulis exercente, studia sua confert. Nec huic labori defuerunt jam ex antiquissimo aevo philosophi, simulac animum ad hominum naturam rite investigandam primum adverterent. Utile in primis est ac jucundum, legem definivisse, cui phantasia adstricta tenetur, idque eo magis, quo minus limitibus ipsius imperium circumscriptum esse videtur. Intimos atque tenebricosos animae aditus et latebras eum certe adire oportet, qui negotium illud sane lubricum sibi sustinet fumere.

Qua-

a) *Hennigs von Geistern, und Geistersehern. item. von Visionen und Abndungen.* — — Libellus: *über die Macht der Leidenschaften.*

Quare mirandum est philosophi ingenium, apud quem, inter veteres, philosophiae facile est principatus; Stagiritae dico celeberrimi, qui, cum litterarum fere ambitum omnem amplecteretur, et in hac de anima doctrina plurima posteris tradidit subtilissime dicta. Quorum quidem in enarratione, nec non in exponendis aliorum quorundam sententiis de phantasiae humanae natura, qui harum rerum historiam conscripserunt, nonnulla mihi addenda reliquisse videntur.

§. 2.

Aetate ante Socratem omnes, qui philosophiae operam dabant, id praesertim egerunt ut de mundo, ejusque origine, de summo numine, de rebus coelestibus statuerent sententiam, donec de coelo ad terram Socrates philosophiam devocaret. Ipsi quidem discipulus elegantissimus de rebus humanis ita differuit, ut sermonis lepos atque concinnitas omnibus numeris absoluta esse videatur. „Tantus, quidam ait ^{a)}, *Platonis* sermo, ut ipse Jupiter eum vellet, si loqueretur humanum.” Quare factum est ut sui amore plurimorum animos ita devinciret, ut ornamen-

A 2

tis,

b) Lud. Viv. praelectio in conviv. Fr. Philselphi,

tis, quibus re vera caret, ipsum induerent. Hoc idem accidisse credo, in doctrina de anima humana; quam enim ipsi vindicant de associatione idearum sententiam, ei adscribendam esse, argumenta satis commoda, quibus probetur, desiderantur. Qui contrarium defendunt c), associationis legem a Platone diferte propositam nunquam esse, minime diffidentes, ad loca quaedam in scriptis ejus provocant, quibus evinci posse credunt, legem istam Platoni praeclare notam fuisse. In medium v. g. afferunt locum insignem d), quo confert animam cum tabula aenea, in quam ideae quasi insculpantur, et quo paulo post Socratem inducit haec verba facientem: „cum noverim vos, Theodorum et Theaetetum, utrumque rite distinguens, non erro: sed si forte duos homines e longinquo prospiciens alterum ab altero distinguere non possim, subito succurrit utriusque vestrum idea.”

Primum vero vix cuiquam persuaderi posse credo, Platonem, si phantasiae legem cognitam habuisset, disertis verbis eam non
ex-

c) *Hismanns Geschichte der Lehre von der Association der Ideen.*

d) Plato in Theaet.

exposuisse. Deinde, si hanc eandem ejus sententiam ex similitudine tabulae aeneae, qua utitur, colligere instituimus, cum unice veram esse rem explicandi rationem, qua per impressiones in cerebro factas et remanentes idearum associatio perfici existimatur, tum Platonem huic sententiae addictum fuisse, sumere videmur; quorum vero alterum argumentis non contemnendis repugnat, de quibus infra; alterum vero cum systemate platonico minime convenit, quo animam, cum jam ante hanc vitam fuerit, nihil a mundo corporeo accipere, sed praeteritorum tantum meminisse contendit. Ac si denique locum laudatum accuratius inspiciamus, nil nisi hoc invenimus a Platone propositum: sensationem praeteritorum, consuetam in primis, nonnunquam per praesentem in memoriam revocari; id quod neminem fugit, vel maxime carentem ingenii cultura. Quid? si concedamus plurimas et diversissimas vias, quibus inter se concurrant ideae, Platoni intuituisse, nullo tamen modo phantasiae legem definitivisse dicendus est, nisi forte cum quibusdam, in doctrina de attractione Newtoni facem praetulisse Gilbertum ^{e)} statuas, quippe qui

e) Wilh. Gilbert. de magno magnete tellure.

qui observationes nonnullas eo pertinentes, collegerit. Nimirum non id agitur ut singula facta quae offert experientia, observentur, sed omnibus recte observatis ac inter se comparatis ordinem, quem omnia, vel diversissima, sequantur descripsisse, hic labor est. Quemadmodum vero in doctrina de idearum associatione nimium tribuerunt Platoni, sic *Aristotelis* laudi non parum detraxerunt. Ipsum enim inventorem legis, cui in omnibus actionibus phantasia paret, non temere salutari crediderim.

§. 3.

Priusquam vero me accingam ad comprobanda ea, quae modo dicta sunt, ostendam necesse est, quaenam sit vera et genuina significatio vocabuli *κίνησις*, quo in dissertatione de anima, ejusque facultatibus, saepius utitur Aristoteles. Nimirum omnes fere interpretes per motionem, vel motum reddere non dubitant. Negari quidem non potest, notionem primam, ab origine voce ista significatam, motum esse; sed sicut cognitio nostra omnis a sensibus demum petita, sensim sensimque a rebus, quae sub sensu cadunt, retrahitur, atque universalior fit, sic eadem conditio-

ditione utuntur cognitionis signa. Exemplum praebet vox κινήσεως, quae, cum primum indicaret motum, ad quamvis mutationem innuendam deinde usurpata est; quod ex Aristotele ipso patet. Sed, ut hoc magis eluceat, duplici disputatione opus esse videtur; primum ostendendum est, motum ab Aristotele per vocem κινήσεως non significari, cum de anima differit; ac deinde, nihil aliud ipsum innuere velle, nisi mutationem in univ-
ersum.

Quod ad illud attinet, duplici significatione vocem κινήσεως ab Aristotele usurpari, fugere eum non potest, qui libri de anima primi caput tertium f) confert cum dissertatione de memoria et reminiscentia g), praesertim loca insignia infra laudata. Reprehendit philosophus acutissimus omnes eos, qui motum

f) Arist: περὶ ψυχῆς, α. 3. initio: ὁ μόνον ψευδός ἐστὶ τὸ τὴν ἔσσαν αὐτῆς τοιαύτην εἶναι, ὅαν φασὶν οἱ λέγοντες εἶναι τὴν ψυχὴν τὸ κινεῖν αὐτό, ἢ δυνάμενον κινεῖν, ἀλλ' ἐν τῇ τῶν ἀδυνάτων, τὸ ὑπαρχειν αὐτῇ κίνησιν.

g) Arist: Περὶ μνήμης καὶ μνημον: c. 2. sub finem, καὶ διὰ τῆτο — ψιτομέναν ἡμῶν ἐν τῇ ψυχῇ τοιούτων κινήσεων.

tum ullo modo animae competere statuunt. Qui igitur persuadere nobis possumus, ipsum postea id animae assignare, quod in ea cogitari non posse modo defendisset. Quam ob causam constat, Aristotelem, cum de anima sententiam suam proponit, sub voce κινήσεως motum intelligi non voluisse. Quo accedit, ut motus notioni, vocabulum Φορέας respondere soleat. —

Quod vero ad alterum illud, quod mihi probandum sumsi, pertinet, nimirum nullam aliam nisi mutationis notionem adhaerere voci laudatae, tenendum est: conceptum aliquem alteri, tamquam subjecto suo, non competere (si non competat), vel ob genus, cui est subordinatus, vel ob propriam differentiam specificam; sin illud, nulla inter eos datur relatio logica positiva; sin hoc, ubi pro praedicato uti volumus conceptu isto, separanda est ipsius differentia specifica, retinendum genus. Quae si ad vocem κινήσεως applicamus, facile est videre, nihil nisi mutationem in genere ea indicari posse. Motus enim, cum sit mutatio spatii determinati, sub mutatione, tamquam genere suo, comprehendi intelligitur. Quare, cum κίνησιν de anima
prae-

praedicet Aristoteles, simul vero motum nulla ratione ipsi competere contendat, mutationem animae eum indicare voluisse necesse est colligamus.

Ulterius progredi licet. Nempe omnis mutatio duplex tantum cogitari potest, vel enim absolvitur motu, vel cogitatione. Quare cum voce κινήσεως mutationem innuat Aristoteles, hac vero mutatione motum nequeat comprehendere, idearum, earumque successione rationem habuisse putandus est. Atqui ipse Aristoteles pro sententia nostra pugnat, quippe qui vocem κινήσεως et γνώσεως eadem relatione usurpet. Nimirum Φαντασία, inquit, ἐστὶ κίνησις ^{h)}, et deinde: Φάντασμα ἐστὶ γνώσις ⁱ⁾.

Quare sensum Aristotelis recte assequi non videntur, qui ἐντελεχείαν, qua voce Aristoteles utitur in definitione animae, per continuam motionem, auctore Cicerone, explicant ^{k)} sed potius omnem vocabulum indicat vim

h) Περὶ ψυχ. γ. 3.

i) Περὶ μνημ. I.

k) Melanchr. de anima, sub initium.

vim activam. Idem valet de eis, qui associationem idearum ab Aristotele mechanice explicatam esse contendunt 1).

§. 4.

Jam quid de voce κινήσεως sentiendum esse credam cum explicaverim, ad proponendam Stagiritae celeberrimi sententiam ipsam progredior. Praeclara multa circa hanc materiam ab ipso tradita esse, ita ut commentatore tantum opus fuerit, qui, singula omnia complexus, propositionem generalem componeret, ab omnibus concedi video. Quid vero? Ipse Aristoteles propositione non minus generali atque subtili, quam qua hodie gaudemus, phantasiae legem videtur definivisse. Quod quidem, quibus scripta ejus consulere placet, obscurum aut dubium esse nequit. Primo loco quae in hunc finem conferatur digna est phantasiae definitio, quam his verbis proponit m): ἡ Φαντασία ἐστὶ κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ' ἐνέργειαν γιγνομένης. Diserte profitetur phantasia a sensatione, vere facta (κατ' ἐνέργειαν), dependere; siye

1) Hismanns Geschichte der Abf. L. S. 13.

m) Περί ψυχ. γ. 3. sub fin.

sive modificationem ipsius sensationi conformem esse. Nimirum res, quae sub sensu cadunt, duplicis sunt generis, vel simultaneae, vel successivae. Sin hoc, ordinem quo tempore, sin illud, quo in spatio sese exceperunt, sequi solet phantasia. Sumas *a b c* hac successione sensibus a nobis percepta esse, multo facilius, ubi *b* resuscitatur, ad *c* quam ad *a* ferimur. Eodem modo, si *a b c d e* simul in sensu inciderunt, per *c* resuscitatum prius in *b* et *d* quam in *a* et *e* delabimur. Cujus quidem phaenomeni exempla fatis nota experientia quotidie praebet. Licet vero non semper hoc ita accidat, et necessario, praesertim cum conceptus antecedentes, vel remotiores, vivacitate praecellunt subsequenteribus et propioribus; attamen ordo iste, quasi more consueto, vulgo servatur. Immo si non servaretur, Aristoteles jure suo phantasia appellaret *κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως*. Nunquam enim idea altera alteri colligatur in phantasia, quae non aliquo modo sensatione ipsi conjuncta fuit. Non vero defendenda nobis est, sed explicanda potius summi philosophi definitio. Nempe si verum est, phantasia a sensatione simpliciter dependere, eique, quoniam omnis effectus causae suae similis est,

con-

conformem esse, ubi pars sensationis alicujus in anima excitatur, caeteras ejusdem partes simul excitentur necesse est. Alioquin enim sensationi conformis non foret phantasia. Quare cum haec ita se habeant, ex definitione lex derivari potest, quam phantasiae hodie ferre solent, eaque omni suo ambitu: conceptum scilicet singulum perceptionis alicujus totalis totum illud cujus pars fuerit in mentem reducere n). Jam si nihil amplius de hoc argumento nobis reliquisset Aristoteles, hoc forsitan sufficere mihi videretur, ad declarandum, legis cui paret phantasia humana, probe peritum ipsum fuisse; nam nullo modo definitionem suam informare potuisset, nisi phantasiae naturam prorsus habuisset cognitam. Sed sunt loca, e quibus multo clarius idem appareat. Nimirum conscripsit dissertationem de memoria et reminiscencia, qua, postquam quam accuratissime utramque facultatem definivit, de modis atque conditionibus agit quibus sit reminiscencia. Leges vero ab ipso hic latas, easdem omnino esse, quam quas hodie agnoscimus phantasiae leges, facile est videre. Ne vero incitiae me accusare quis velit, quippe qui leges phantasiae cum
 remi-

n) Baumg. Metaph. §. 417.

reminiscentiae legibus commutare videar. Nimirum omnes animae vires nostra tantum cogitatione a se invicem sunt separatae; minime vero vel singulas animae partes constituunt, vel singulis partibus adhaerent. In primis vero conjunctissimae sibi sunt phantasia et reminiscentia; ita ut et cogitatione nostra non differant, nisi tamquam genus et species, eandemque in actionibus suis sequantur legem. Quare quidquid de reminiscentiae actionibus legibusque, secundum quas fiant, proponit Stagirita, ad phantasiae modum agendi rectissime applicari potest.

Primo loco notatu digna est descriptio phantasmatum, quam his verbis absolvit ο):

Φάντασμα της κοινῆς αἰσθήσεως πάθος ἐστίν, ὡσεὶ φανερόν, ὅτι τῷ πρώτῳ αἰσθητικῷ, τέτρων ἢ γνώσις ἐστίν. Phantasma contendit esse cognitionem, ea repraesentantem, quae olim sensibus percepta sunt. Quare, si phantasma quasi est typus sentationis, partes, quae in eo sese invicem excipiunt, aliquo modo conjunctas jam fuisse oportet, dum sensibus perciperentur.

Sed

ο) Παρὰ μνημ. 1.

Sed ad ea, quae sunt gravioris momenti, accedo. Liceat mihi praecepta, quae ad argumentum nostrum praecipue attingentia proposuit Aristoteles, in medium afferre. Haec fere sunt p):

a) Reminisci tunc tantum possumus, quando mutationes animae, vel natura, et necessario, vel consuetudine solummodo, et minus necessario, ita conjunctae sunt, ut sese invicem excipiant.

b) Quando reminiscimur, exitatae fuerint necesse est mutationes antecedentes, donec in eam inciderimus, cum qua conjunctum id est, cujus reminiscimur q).

c) A

p) Περὶ μνημ. 2.

q) Ὅταν ἐν αναμνηστικῶν μεθῶν, κινήμεθα τῶν πρώτων τινὰ κινήσεων, ἕως ἂν κινήσωμεν, μετ' ἧν ἐκείνη εἰώθη.

Τὰ ἐφεξῆς θεωρούμεν — ἀφ' ὁμοίᾳ, ἢ ἐναντίῳ, καὶ ἢ τῆ συνέγγυς. διὰ τῆτο γίνεται ἡ ἀναμνησις. αἱ γὰρ κινήσεις, τῶν μὲν αἱ αὐταὶ, τῶν δ' ἄλλοι, τῶν δὲ μέρος ἔχουσι, ὥστε τὸ λοιπὸν μικρόν, ὃ ἐκινήθη μετ' ἐκείνου.

c) A simili, contrario et finitimo fieri solet reminiscentia. *Nam animae mutationes, quae exinde oriuntur, nunc eadem sunt ac olim, nunc simultaneae, nunc partem continentur* ita ut reliquae partes facile resuscitentur.

d) Quo ordine inter se dispositae fuerunt res, eodem mutationes animae sese excipere solent.

e) Omnis reminiscentia indiget principio, cujus quidem vicem in omni genere subire videtur, id quod medium est. Ab hoc vero principio ad omnia transgredimur, quae connexa cum ipso sunt. Ponantur *a b c*, quorum *b* excitare potest cum *a* tum *c*.

f) Eorum quae remota sunt, eodem modo, quo propinquorum meminimus.

g) Nonnunquam accidit, ut alicujus rei non reminiscamur, eodem principio, quo ejus reminisci solemus. Hoc eo proficiscitur, quod idem principium plurimis rebus connexum est, ita ut ad res innumeras transire liceat.

E quibus omnibus, si inter se conferantur, apparere mihi videtur, Aristotelem hunc
sibi

sibi de omni nostro argumento informasse cogitandi modum: Res extra nos positae sensibus percipimus. His autem rebus simul existentibus et successione sese excipientibus inest ordo quidam, qui, cum a rebus separari non possit, simul cum ipsis mente percipitur. Quare phantasia, quae est quasi typus sensationum, simul cum rebus reducit ordinem, quo in sensibus haec inciderunt. (v. d) Saepissime vero hanc legem transgreditur. Potest enim ab altero sensationum complexu ad alterum transire, ubi accidat ut in altero aliquid insit, quod idem est in priori. Scilicet haec communis idea caeteras omnes revocat, quibuscumque, tamquam ejusdem totius complexus partibus, conjuncta fuit. (v. e) Ac si nonnullas non revocet, hoc fit, quoniam in sexcentas vias abire potest. (v. g). Quare cum ita sentiret de associatione idearum, nostram hanc rectissime sancivit legem, jam supra laudatam: *ὅταν αναμνησκώμεθα, κινώμεθα τῶν πρώτων τινά κινήσεων, ἕως ἂν κινήσωμεν, μεθ' ἣν ἐκείνη εἰώθη.*

Hanc vero associationis legem tam late patere ac pro rei natura patere potest, et a philosophis aevi recentissimi definitur, in apri-

co est. Diferte affirmatur: associari invicem eas ideas, quae jam simul in animo fuerint, vel successione immediata sese exceperint (*μεθ' ἢν ἐκείνη εἰώθη*) i. e. associantur perceptiones partiales ejusdem perceptionis totalis; sive perceptio partialis in mentem reducit totalem, cujus pars fuit, perceptionem. Haec vero eadem est lex quam hodie phantasiae ferunt, et quam neque latius extendere, neque arctioribus limitibus circumscribere licet. Peccant enim, cum experientia aperte repugnet, qui vel similia tantum inter se associari contendunt; vel pro suo solummodo lubitu agere phantasiae sine rationibus objectivis, affirmare student. Utrosque non satis accurate animum advertisse ad investiganda ea, quae sunt in latebris animae recondita, facili negotio evinci posse credo. Utrique aperte reprobantur Aristoteli, qui associationem per similitudinem tantum recenset tamquam singulum inter caeteros modum; ac e contrario legem definit, quam phantasia transgredi non posse apparet.

Quae cum ita sint, iudicium supra stabilitum a nobis (§. 2.), Aristotelem scilicet legis generalis, cui paret phantasia, inventorem

B

esse

esse praedicandum, argumentis comprobatur esse videtur. Quod si quis velit, plura argumenta petere licet ex dissertatione Aristotelis, de anima, et reminiscencia, ubi in phoenomena singularia magis inquirit philosophus. Sufficiat praecipuorum ejus de hac re praecetarum universalium, mentionem fecisse.

§. 5.

Ex eis quae jam exposita sunt, luce clarius est, post Aristotelis aetatem nemini quidquam novi ad doctrinam de associatione addendum relictum fuisse, nisi forte exornando, applicando, definiendisque denique instrumentis, quorum ope perceptionum compositiones informantur. Inter graecos quidem philosophos Aristotele minores, vel eos qui Alexandriae degerunt, in adornanda hac disciplina, nemo eum sese exhibuit, qui commemoratione dignus esset habendus. Tempore quo aquae phantasiae leges tot, tantopere transgrederebantur, impeditissimum sane fuit de hac animae humanae facultate certi quidquam definire. Quo majori vero difficultate res laborat, eo magis ipsam perficiendi periculum facere dubitant. Quod forte, praeter caetera, non-

nonnihil attulit ad augendam isto tempore inopiam scriptorum, qui de animae natura recte differerent. Romani philosophi id fere semper egerunt, ut quae graeca tellus producerat, in Latium deferrent, vel femina istine petentes, fructus promoverent graecis profus similes. Ab imitatoribus de jure nihil novi expectatur. Ac profecto, cum in caeteris philosophiae partibus, tum in hac quae circa animam humanam versatur, spem novi quid expectantium fefellerunt latini homines, quorum ingenium propriae rerum investigationi minime favisse videtur, sed ad ea potius fuisse propensum, quae animae robur ac fortitudinem, cum sine vasto ingenii ambitu ac alta profunditate cogitari haec possint, requirerent. Unde tam prosperos successus Stoicorum disciplinae inter Romanos contigisse intelligimus. Attamen dissertatione nostra memorandus est Quinctilianus Rhetor, qui de idearum associatione satis bene sentit. Sed nescio unde factum sit ut associationis naturam atque leges fere una tantum ex parte contemplatus, res gravissimi momenti omnino negligeret. Hoc enim praecipue ventilat: cum loco simul in memoriam recurrere rem, quae istum locum occupaverit, et vice versa; monetque ut si

quid memoriae mandare velimus, notas adjungamus ob oculos semper versantes. Licet vera sint haec omnia, rem tamen non penitus assequuntur. Sed si quid omisit Quinctilianus, vir non vulgari ingenio praeditus, hoc inde profectum esse videtur, quod, cum rhetorica praecepta traderet, id sibi agendum sumserat, ut declararet quomodo memoriae facillime quid mandari, ipsaque animae facultas emendari possit. Quidquid vero sensibus perceptum est, clariorem sui in anima relinquit ideam, quam quod cogitatione solummodo agitavimus. Quare ea prae primis commendat signa mnemonica, quae sensibus percipiuntur, quippe quae, cum vehementius animam percellant recordatione, vel dum memoria repetere aliquid cupimus, ipsos ob oculos versentur, faciliori etiam negotio quae secum conjunctae habent, in memoriam reducere possint.

Quod quidem cum verum sit, unum tamen in eo monendum esse credo. Nimirum ex animae nostrae naturam intelligi potest, ideam clariorem facillime resuscitari ab idea minus clara, quacum illa ullo modo est connexa; non vero vice versa. Inter alia argu-
 menta

menta et hoc eminet, quod attentio animae nostrae in ea semper perceptione detinetur adstricta, quae clarissimo inter caeteras lumine splendet. Testem ejus quod dixi habemus experientiam. Quodsi, cum ante aliquod tempus actam videris fabulam scenicam, ita ut omnis animus inde commotus fuerit, hodie videas aliam, vi commovendi prorsus destitutam, priori vero fabulae admodum similem, hujus imago subito animum occupat. Sed si ordine inverso videris fabulas, dum altera commovetur animus, alterius eum nulla subit imago. — Ex his simul judicari potest, quam perversa sit educandi pueros ratio, qua per motiva sensibus percipienda in memoriam eorum revocare studemus, quae ei mandanda data erant. — Quae cum ita sint, in constituendis signis mnemonicis cavendum est, ne talibus utamur, a quibus ea, quorum memoria servanda est, claritate vincantur. Sed haec hactenus.

§. 6.

Jam longa saeculorum serie philosophia divina, vel ad superos rediisse videtur, vel si inter mortales versata est, paucissimis tantum eorum faciem abvolutam clam revelasse. Neque

que enim qui Neoplatonicorum nomen, cum divini Platonis genius longe abhorreat ab iis, temere prae se ferant, neque patres ecclesiastici, neque Aristotelis imitatores arabici, neque Scholasticorum grex, multum novi philosophiae addiderunt, de quo gratulari sibi possent homines. Quod affirmans ne iniquus videar, tenendum est, me ad illud in primis philosophiae genus respicere, quod experientia, diligentique assiduaque hominum observatione nititur. Rationes, cur hoc ita evenit, si in medium adducere vellem, a scopo viderer aberrare.

Saeculis, inde a quinto, ad undecimum usque spissa caligo orbi terrarum incubuisse videtur. In primis vero ignota hominibus fuit hominum anima. Cassiodorus qui saeculo sexto libellum de anima conscripsit, sicut longe plurimas et gravissimi momenti res omittit, sic associationis idearum ne mentionem quidem facit. Ingenia eorum qui Chalifarum aetate litteris operam dabant, horum imperio severo, ita erant depressa, ut imitari tantum possent; immo Aristotelem potius, methodum anxie curantem, quam Platonem, quem ingenium ardentissimum nonnunquam secum auferat,

fert, imitari mallent. Quare in eo praecipue fuerunt, ut Aristotelem interpretarentur. Saeculo post decimum secundo Averroes philosophus marroccensis, qui eminent inter Arabes, proprium de anima libellum composuit, quo quidem intellectus agentis particulam esse animam contendit, argutamque proponit de essentia ejus theoriam, sed doctrinam de idearum associatione non attingit.

Scholasticorum disputationes in genere spectant cognitionis nostrae formam, caeterum de materia parum curant. Quam ob rem in doctrina de associatione idearum vultus eorum non magna pollicetur. Saeculo demum decimo sexto, quo litterarum studia, postquam viri nonnulli praestantissimi facem praetulerant, in rectam viam redire coeperunt, non defuerunt qui operam suam in eo collocarent, ut quid de anima nostra sentiendum sit, quid non, aequalibus proponerent. Inter primos qui hoc opus in se susceperunt, Melancthonem dico, Ammerbachium et Ludovicum Vivem, quorum libri de anima conjunctim editi sunt a Gesnero, (Tiguri 1563), longe eminent Ludovicus Vives, qui etiam in doctrina de associatione idearum, cum caeteri

eam

eam non attingant, non vulgarem prodit scientiam. „Phantasia, inquit r), *conjungit et disjungit ea, quae singula et simplicia acceperat imaginatio;*” (nempe imaginatio ipsi est, vis percipiendi); deinde s): *mirifice est expedita et libera* (phantasia); *quidquid collibitum est, fingit, refingit, componit, devincit, dissolvit, res disjunctissimas connectit, conjunctissimas autem longissime separat.*” Et alio loco t): „*Gradus hi* (scilicet quibus repetit anima, quae oblivioni tradita erant), *per omnia argumentorum genera late sese diffundunt; a causa ad effectum, ab hoc ad instrumentum, a parte ad totum, ab isto ad locum, a loco ad personam, a persona ad priora ejus et posteriora, ad contraria, similia.*” Prae caeteris vero nobilis est locus ubi sic de phantasia disputatur u): „*Quae simul sunt a phantasia prehensa, si alterutrum occurrat, solet secum alterum repraesentare.*” Quis non videt huic viro deberi restaurationem legis, cui subjecta est phantasia humana. Nimirum vel ipse definivit legem istam ingenii sui vi et acumine, quo non caruisse eum, quis

r) Lud. Viv. de anima I. sect. de cogn. interiori.

s) Viv. loc. cit.

t) de anim. II. sect. de mem. et record.

u) loc. cit.

quisquis ab eo scripta, et praeceteris de anima libros, ac commentationem in Augustini, de civitate Dei opus, legere voluerit, facile sibi persuadebit; vel, quod verosimilius est, cum esset cultor Aristotelis, ex hujus scriptis collegit, ac toto suo ambitu, pro genuino Aristotelis sensu, proposuit. Omnino enim Vivis praeceptum de associatione, quo defenditur alterum ex eis, quae phantasia simul percepta sint, alterum simul secum repraesentare, si ipsum forte resuscitetur, perspicue convenit cum praecepto Aristotelico (§. 5.), quo reminiscenciam fieri asseritur per ideas quae cum ista, cujus reminiscimur, jam adfuerint. Cum itaque de associationis natura subtiliter disputaverit Vives, Aristotele tamen hoc ipso in argumento tractando posterior esse videtur, exceptionem admittens a lege generaliter ac ingeniose a se descripta. Dicit enim x): „*sunt transitus quidam longissimi, immo saltus.*” Quid vero dicamus saltum, nisi earum idearum concursum, quae nulla copula antea conjunctae fuerunt? Aristoteles e contrario huic exceptioni minime locum concedit. Defendit enim disertis verbis, ea quae a se invicem remota sint, eodem modo in phantasia conjungi, quam quae

x) Viv. de anim. II. sect. de mem. et rec.

quae sibi sint propinqua; (§. 5. e). Quare mutationes animae, quibus singularis ac insolita est natura, non satis accurate et assidue observasse, forte dicendus esse videtur. Quid vero? Num fortasse vocabulum saltus significatione, hodie minime trita usurpans, sic tantum statuere voluit: dari associationem idearum earum, quarum nexum vel primo intuitu, vel omnino non intelligimus? Sic se habere rem, proditur exemplo quo utitur. Cum enim dixerit, dari saltus in phantasia, statim addit y): ut ex Scipione venio in cogitationem potentiae turcicae, *propter victorias ejus de Asia, in qua regnabat Antiochus*. Hic diserte addit conceptum medium, cujus ope saltus iste, ab altero ad alterum conceptum, institutus fuerit. Atque sic et ejus criminis, cujus modo ipsum accusavimus, absolvendus est. Quare confiteamur, legem de associatione ferendam, omnibus fere numeris absolutam ab eo traditam esse.

Sed non sine causa miraremur quomodo vir, tam singulari animae humanae cognitione exstructus, quippe qui omnem idearum concursum, praeter caetera, tam praeclare cog-

y) loc. cit.

cognitum haberet, miraremur, inquam, quomodo a spiritualibus essentibus, uti appellat, angelis nempe bonis et malis, phantasiam nonnunquam agitari, credere potuerit, nisi satis notum esset, et experientia comprobatum, quanta vi statuta omnia positiva, praesertim ad religionem pertinentia, mortalium animos teneant sibi adstrictos. Quod cum fieri non possit nisi per associationem idearum, nos vero circa hoc argumentum verba faciamus, liceat nobis hoc loco praecipuas rationes commemorasse, quibus arbitremur comprehendi posse incredibilem illam vim religionis positivae.

a. Prima ratio, quae in omnibus, quae credimus vera esse, obstinacioris, atque sententiae tenaces nos reddit, in proprio amore posita est, quo errorem nos commisisse non facile fatemur.

b. Deinde omnis religio, ideoque et positiva, quam maxime nostra interest (summum ipsius est, ut ajunt, τὸ *interesse*). Hoc vero duplici ratione. Nam

aa. agitur de salute nostra; quare de cujusvis dogmatis immutatione diu est dubitan-

tandum. Praeterea in religione positiva hoc accedit, ut sensitivam vim excerceat, per motiva praesertim ob oculos posita, atque

bb. attentionem ad se attrahat per singularia quaedam, et consuetum naturae ordinem offendentia, quae admixta vulgo habet.

c. Educatio denique qua usi sumus, plurimum facit; constat enim quam altas radices agant conceptus omnes, qui juvenili aetate imprimuntur. Religionem vero positivam a primis unguiculis docemur.

His argumentis comprehenditur, quomodo vir acutus, suadente religione positiva, eo adduci possit ut sibi met ipsi contradicat. Cum enim modo dixisset Vives, per phantasia omnia componi insita ipsius vi, per angelos saepius mentem agitari asserit. Sed ita sentit quam parum rationi conveniens assertum sit, ut statim addat, angelos in commovenda phantasia nostra sic versari, ut sensibus subducant res aliquas, quibus eo, quo optent, modo excitetur phantasia. Plura hujus generis peccata commisit aliis locis z).

§. 7.

z) Viv. de verit. fid. -- Comment. in orat. domin.

§. 7.

Jam ad alium quasi ordinem philosophorum progredimur, a superioribus in argumento nostro tractando plane diversum. Cum conati simus ostendere legem phantasiae, quam late pateat, a veteribus jam esse definitam, nullo modo, quidquam novi additum esse a philosophis modo dictis, concedi potest, sed potius idem argumentum alio consilio ab eis esse tractatum, affirmandum est. Res ipsa loquitur. Non solum enim nullas actiones phantasiae observarunt, quae legi, a veteribus latae, non subessent, sed ne hanc quidem omni ambitu cognitam habuisse videntur. Non tam id egerunt ut inquirerent in ea quae a phantasia producuntur et efficiuntur, utque his diligenter observatis, regulam et normam omnibus actionibus phantasiae communem colligerent, atque hac ratione animae naturam cognoscerent; quam ut instrumenta explorarent quorum usu omnia efficerentur, atque sic definirent, quo demum modo eveniret idearum associatio. Nempe inde ab Hobbesii aetate, per corporis mechanismum rem explicare operam dederunt. Multis philosophia ista arrisit, ita ut diligenter ipsam exornarent,
et

et ad certum perfectionis fastigium adducere conarentur; inter quos eminent Malebranchius et Hartlejus. Priusquam vero ad sententiam singulorum horum virorum explicandam progrediar, nonnulla in genere de omni hac philosophandi ratione praemisisse liceat. Magna re vera specie gaudet, simul autem tam est lubrica ut ab errore admodum cavendum sit. Quodsi in universum de argumento proposito disceptare lubet, duplex statim distinguenda est sententia; altera scilicet eorum, quibus per nervorum oscillationem, ab altero ad alterum propagatam, associatio idearum explicatur, et altera deinde eorum, qui idem eo proficisci putant, quod spiritus vitales, quorum motu determinato ideas conjunctas esse volunt, vestigia quaedam in cerebro relinquant, ita ut, simulac eandem viam ingrediuntur, vestigia relicta facili negotio persequi possint. De utraque sententia sigillatim.

I. Sunt ergo qui putent, per oscillationem nervorum propagatam simul associari ideas, quippe quae per oscillationem istam producantur. In forma dupliciter adhuc cogitari haec sententia potest. Nempe vel

a. su-

a. sumitur nullo nexu physico inter se contineri cerebri nervos. Quod si vero hoc admittitur, facile est videre, nullo modo alterius nervi oscillationem ad alterum propagari posse, adeoque hoc modo non dari idearum associationem, quae a propagata nervorum oscillatione dependeat.

b. nexus nervorum physicus ponitur quomodocumque determinatus. Sin hoc, distinguendum est. Nam vel

aa. rem ita cogitamus ut omnes nervi similes i. e. similes ideas oscillatione sua producentes, copula quadam inter se contineantur, ac singulis similibus idearum complexibus singula respondeant nervorum systemata, separatim existentia. Cerebri natura sic constituta, a simili ad similem nervum propagatur oscillatio, ideoque similis idea per similem excitatur. Hac vero ratione, etiamsi per propagatam nervorum oscillationem obfolvi associationem idearum concedatur, conjunctos inter se esse nervos concedi minime potest; quoniam ex ea non comprehen-

henditur, quomodo fiat, ut *ideae* non similes, immo prorsus contrariae con- sociatione gaudeant in phantasia. Vel

bb. Fingitur cuivis perceptioni totali con- nexum nervorum systema respondere, ita ut, quotquot sunt perceptiones tota- les, tot nervorum oscillantium syste- mata correspondentia inveniantur; id- que duplici diversa conditione; vel

α. hac, ut eadem *idea c*, ad percep- tionem integram *a b c d* pertinens, ubi in alia perceptione *e f c g* oc- currat, alius etiam nervi oscillatione gignatur. Nempe si antea producta fit per oscillationem nervi *x*, nunc per nervum *y* oscillantem efficiatur. *x* vero ad systema nervorum *q r x s* referendum est, perceptioni *a b c d* correspondens, et *y* ad systema *t u y z*, quod perceptioni totali *e f c g* pro- prium est. Itaque nervi *x* et *y* nulla copula sunt inter se connexi; qua- re alterius oscillatio alteri commu- nicari nequit. Quam ob rem etiam oscillatio *τ γ r* vel *s* excitare non potest

potest oscillationem $\tau z u$ vel z . Ideoque nec idea b vel d reducere potest ideam f vel g . Cum vero manifesto repugnet experientia, plurimas hujus generis idearum associationes praebens, haec sententia stare nequit. Praeterea infinita nervorum multitudo, qua secundum hanc sententiam opus foret, licet quam subtilissimi fingantur, vix concipi potest. Repugnant denique habitus, qui, eadem idea saepius repetita, oriuntur; cogitari vero non possent, si eadem idea alius semper nervi oscillatione produceretur. Nulla enim repraesentatio totalis cum quavis alia prorsus eadem est. Vel

β . ea conditione, ut eadem idea c in perceptione totali $a b c d$ occurrens, ubi iterum simul cum $e f g$ existat, ejusdem nervi oscillationi originem debeat. Nempe si antea per x oscillans nata sit, semper eodem x oscillante gignatur. Qui hanc sententiam sequuntur, minime incidunt in istam difficultatem, quae tollit sen-

C

ten-

tentiam sectione antecedente laudatam. Sed alia sunt quae dubium contra eam moveant. Quodsi enim finguntur nervorum in cerebro systemata conditionibus modo propositis, mutui nexus vel

jam adfuerunt antequam adessent perceptiones totales. Sin hoc, oscillationes etiam illo tempore invicem propagarentur necesse fuisset ab altero ad alterum nervum, isti conjunctum. Facile vero intelligitur hoc fieri non potuisse, nisi ita ut simul adfuerit idearum associatio. Sed experientia aperte ad contrarias partes inclinante, hoc statuere non licet. Nunquam enim idea *b* excitatur ab idea *c*, quacum nondum simul percepta fuit, neque mediate, neque immediate. Quid in vernacula nostra sibi velit vocabulum *Stolz*, peregrino nemini in mentem venit, nisi superbiae notionem voci competere antea audiverit. Neque opponi potest, *b*
per

per x ante simultaneam utriusque
 repraesentationem, eam ob causam
 non fuisse excitatum, quoniam
 nervus y , cui adhaereat b , motui
 nimis resistisset, quae quidem re-
 sistentia per simultaneam primum
 perceptionem sustulenda fuisset.
 Quod si etiam nonnullis condi-
 tionibus hanc causam fingi posse
 largiamur, attamen per plurimos
 non potest. Sume b esse percep-
 tionem admodum claram, immo
 habitus speciem prae se ferre.
 Hoc modo et nervum, cui adhae-
 ret, admodum mobilem esse oportet.
 Vel

¶. simul cum perceptionibus oriun-
 tur. Age videamus an hoc fieri
 possit. Concedamus, absurdum
 ingenere non esse, hanc colliga-
 tionem nervorum, momento tem-
 poris peractam, statuere; attamen
 quomodocunque eamingas, non
 deesse credo conditiones, quibus
 cogitari nequeat. Scilicet nervi,
 licet materia subtilissima, sensus

nostros fere fugiente, compositi
sint, extra se sunt positi, et spatio
inter se distant; ita ut hi sibi pro-
quinqiores, illi a se remotiores,
et nonnulli prae caeteris remo-
tissimi sint. Hos vero, cum spatio
intercedente a se invicem separen-
tur, uno temporis momento con-
jungi, nisi leges naturae offendere
velimus, statuere non convenit.
Attamen secundum ea, quae sup-
posita sunt, sic judicandum esset.
Nullo enim pacto fingi possunt
ideae, immo natura sua longissime
a se remotae, quae, dum finiul
percipiuntur, momento temporis
ita conjungi nequeant, ut alteram
altera postea resuscitet in phanta-
sia. Quid? num plausibile vide-
tur, nervos hucusque disjunctos,
licet proximi sibi sint, perceptio-
ne aliqua facta, subito conjungi?

Quibus omnibus rite perpensis, sen-
tentiae isti, qua systemata nervo-
rum, perceptionibus totalibus re-
spondentia, simul cum idearum
com-

complexu copulari defenditur, as-
sentiri minime possumus.

Accedit et hoc argumentum, quod,
quae hoc modo oriretur nervo-
rum copia, non parum difficulta-
tis secum afferret.

Reliquum est ut de sententia eorum pau-
ca proferamus, qui per vestigia, cerebro a spi-
ritibus vitalibus impressa, explicare student
idearum associationem.

II. Sunt qui putent, motui spirituum vitalium
adhaerere ideas; spiritusque istos, cum ad
cerebrum usque semper moveantur, in sub-
stantia ejus medullosa tramites quasi sculpe-
re, hosque, simulac pari motu rursus feran-
tur, tamquam vestigia nota, iterum prosequi
solere; atque sic demum accidere, ut ideae,
quae olim simul adfuerint, eodem rursus
ordine sese excipiant, revocata primum in
mentem una ex eis. Ad quam quidem sen-
tentiam, cum multa dici possint, hoc tan-
tum monebo. Nimirum

a. cum in spatio et tempore moveantur spi-
ritus vitales necesse sit, immo omnis ma-
teria-

terialis idearum differentia dependere solummodo possit a diverso spatio quod percurreunt isti, nisi forte diversis elementis compositos esse spiritus animales cum quibusdam statuas, temporis et spatii praecipua hanc sententiam dijudicantibus ratio habenda est. Sin ad hoc igitur recte attendamus, etiamsi concedatur aliam associationem dicta ratione fieri, aliam ita fieri non posse facile patebit.

aa. Pone ideas *a* et *g* longe a se esse remotas, ita ut pluribus primum intervenientibus, ab altera ad alteram progredi possis. Adfunt perceptiones totales: *a b c*, *b d e*, *d f g*; ita ut *b* ab *a* excitetur, ab illo *d*, ab hoc demum *g*. Pone porro associationem $\tau\gamma$ *a* et *g* hac lege fieri, ut subito adfit, nullaque $\tau\gamma$ *b* et *d* suboriatur conscientia; per se vero *b* et *d* ideae satis sint clarae et fortes; *a* et *b* vero non ita comparatae, ut omnem animae attentionem in se disfigere possint.

Hoc phaenomenon, cum quotidie observari possit, neque vero explicari per hypothesin propositam, hanc ipsam gnauiter

le viter impugnat. Nempe claritas et vis
 idearum, ex hypothesi laudata, cum
 dependet ab impetu et vehementia, qua
 spiritus animales moventur, tum eti-
 am, in repetitione, a natura vestigio-
 rum, quatenus haec vel alte impressa
 sunt cerebro, vel leviter tantum. At-
 que suppositum est ideas *b* et *d* claras
 esse; unde vestigia eorum satis alte
 impressa esse, necessario colligitur.

Quare, ubi ea percurrant spiritus anima-
 les, viam suam expeditissimi transigere
 possunt, nullo impedimento cohibiti.
 Quo simul vehementiam eorum ac im-
 petum in currendo frangi non posse
 comprehenditur, ac eandem esse de-
 bere constat in vestigiis τg *b* et *d*, ac
 in tranite τg *a*; saltem non minorem,
 quam in *g*, si sensim sensimque frictio-
 ne eam diminui contendamus. Quare
 cum adsit ratio sufficiens, et effectus
 non adesse nequit. Itaque clara τg ,
b et *d* animum subit idea; quod vero
 est contra suppositionem.

aa. Neque vero minus digna est, ad
 quam attendamus, haec difficultas a
 tem-

tempore petita, Nempe, si ideae associantur multis aliis intercedentibus, quorum vestigia in cerebro a se invicem plurimum distant, uno momento eas conjungi non posse, facile patet. Motus enim omnis tempore perficitur; associatio e contrario nonnunquam momento absolvi videtur. Neque fingi fas est ideas, quae si modo simul perceptae fuerint, postea subito consociari non possent,

E quibus omnibus apparet, dari quaedam in anima, quae explicationem ex hypothesei proposita petitam renuant.

b. Secundo loco omittere non possum, eos qui sententiam laudatam sequuntur, aliarum rerum habito respectu nonnulla statuere, quorum non solum ratio sufficiens reddi non possit, immo quae sint contra regulas physicas satis notas. Unaquaeque idea innumeris fere est connexa. Itaque totidem vestigiis singula excipiantur vestigia necesse est. Sicuti vero altera alteri ideae magis vel minus connexa est, ita ut haec difficilius, facilius illa ipsi
asso-

affocietur; sic per vestigium, cui altera idea adhaeret, expeditior est transitus spiritibus vitalibus, quam per alterius ideae vestigia. Pone cum idea *a* vulgo affociari *b*, nonnunquam vero et *c* et *d*. Quo posito necesse est, spiritibus animalibus paratior sit transitus a vestigio *A*, $\tau\omega$ *a* correspondente, ad vestigium *B*, quam ab *A* ad *C* et *D*, $\tau\omega$ *c* et *d* propria. Hoc vero concipi nequit, nisi hoc modo, ut viam priorem magis munitam, declivem et stratam fingamus, alteram vero arduam et minus paratam. Sin vero accidat, ut *c* cum *a* affocietur, hoc regulis mechanicis repugnaret, quae, omnibus eandem conditionem fervantibus, fluida ad declivem locum, vel obstaculis non impeditum deferri jubent prius quam ad eminentem, qui impedimentis praesertim, quibus abundat, vim impellentem coërcet. Itaque, his suppositis, confociatio $\tau\alpha$ *c* vel *d* cum *a* incomprehensibilis foret; cujus vero generis associationum cum experientia sat exempla offerat, cum ista sententia nunquam in gratiam redire potest. Nostris v. c. ad vocem *Rosbach*, vulgo nihil in mentem recur-

rit,

rit, praeter ideam vici ejus ad quem Galli a Boruffis ad internecionem victi sunt. Attamen nonnunquam, licet rarissime, animo obversatur equi idea et rivuli. Quod si dico rarissime hoc accidere, accipiendum est de voce ea, simpliciter usurpata, non vero de eadem, quatenus ita adhibetur, ut singularum syllabarum notiones vel accentu, vel alio quodam habitu attentionem ad se attrahant, ut e. g. in Kaestneri epigrammate celebrato, quo vernaculam nostram defendit a).

- c. Liceat in hoc argumento et hanc quaestionem paulo universalius movere: scilicet unde accidat, ut motus spirituum vitalium, cum prorsus mechanicus sit, omnes motus leges offendat, quippe qui modo

- a) *Ein Gallier, der gallisch nur verstand,
Und das allein reich, stark, und zierlich fand --
Das Deutsche hat er stets durch schalen Spott entehrt,
Weil ihn für dies Verdienst ein deutscher Hof ernährt --
Den hat ich: Nennt mir doch auf gallisch Hippokrene! --
„Herr Deutscher könnt ihr mich im Ernst so seltsam fragen?
„Der Gallier behält die griechischen Töne.“ --
Nun wohl, Monsieur, wir können Rosbach sagen!*

modo huc modo illuc feratur, immo contra ac secundum regulas physicas expectandum esset (v. sect. antec.)

Quod si quis dicat accedere voluntatem nostram, qua dirigatur associatio, haec secum perpendat rogo:

aa. primum: voluntatis nostrae actus ipsos ideam supponere, atque hanc ob causam ad existendum egere quadam associatione, ita ut per datam responsionem differatur tantum quaestio, non vero solvatur

bb. deinde a voluntate nostra idearum associationem dirigi non posse modo determinato, sed indeterminata prorsus ratione. Voluntatem enim idea ipsa, de qua est disponendum, antecedit, necesse esse apparet; alioquin in eam quidquam agere minime potest voluntas. Nobiscum quidem statuere licet, nos in causas alicujus rei velle inquirere, minime vero quot et quales inventuri simus; multoque minus, quid simul cum eis in mentem venturum sit,

fit, vel ad rem pertinens, vel ab ejus natura abhorrens. Itaque voluntas nihil facit ad explicandam rationem, qua spiritus vitales motus leges transgrediantur.

d. Quorum denique quod pugnat contra sententiam eorum qui per tramites a spiritibus vitalibus in cerebro relictas, associationem idearum perfici credunt, hoc est, quod qui corpora secandi artem calent, tramitibus modo dictis locum concedere recusent; substantiam cerebri medullosam homogeneam admodum, mollem et fluidam negantes eam esse, quae vestigia, quavis vi impressa servare possit. Atque si hoc verum est, fieri nequit, ut spiritus vitales viam sibi muniant in cerebro, qua redeuntis faciliore negotio quam antea possint incedere. Itaque nec ullo modo inde comprehenditur, quomodo iter, semel factum, rursus persequi studeant, simulac eandem viam ingressi fuerint. Itaque doctrinae de idearum associatione per opinionem modo ventilatam lumen late splendens accendi non videtur.

E qui-

E quibus omnibus quae hucusque, ad singula philosophorum systemata non respicientes, in genere disceptavimus, cum de sententia ea, qua idearum associationem per nervorum oscillationem, tum ea, qua per spiritus vitales, vestigia cerebro imprimentes, explicare student, atque eorum omnium comparatione cum experientia et rationis praeceptis, extra dubium positis, instituta, hoc intelligi posse existimo: idearum in phantasia texturam, mirifice compositam, coloresque quasi singulis momentis mutantem, per machinam corporis, anima nihil adjuvante, texi minime posse.

His in universum praemissis, ad ipsa philosophorum systemata progredior, qui unum alterumve ex eis quae commemoravi, vel simpliciter, vel forma composita, docuerunt. Neque vero id mihi sumo, ut omnem summorum virorum sententiam de hac re ob oculos ponam, ac feram de eis iudicium copiosum, hoc enim a multis jamjam factum est; sed id potius ago, ut quae in universum modo a me dicta sunt, ad singula de hoc argumento philosophandi genera breviter applicem.

§. 8.

Hobbesius qui natus est sub finem saeculi post decimum sexti, quae quidem aetas viro- rum re vera summorum et praestantissimo- rum est fere omnium foecundissima, primus fuit, quantum constat, qui idearum associatio- nem legibus mechanicis adstringeret. Aristo- telem enim horum numero adscribi non posse, jam supra dictum est (§. 3. corol.) Neque vero pro systemate cui addictus erat, aliter existimare poterat Hobbesius. Cum enim in libro suo, quem Leviathanem in- scripsit, corpus ita explicavisset b), ut sit: de quo vere dici potest quod existat realiter, in se ipso; omnis vero propositio reciproca, qualem definitione cum definito constitui oportet, simpliciter possit inverti, nihil praeter cor- pora existere in omni rerum universitate con- cederet, necesse fuit. Unde etiam factum est, ut ipsum Deum corpus esse arbitraretur. Ita- que non est, quod miremur, omnia quae in no- stra natura diligenter attendendo observare licet, ad leges quibus subdita sunt corpora, non minus ab eo esse accommodata. Idem ipsum valet de doctrina associationis idearum.

Quae

b) Hobb. Lev. c. 3.

Quae circa hoc argumentum ab eo proposita sunt, in Leviathane praecipue inveniuntur; ubi associationem, sive, secundum ipsius verba, diffusum mentalem fieri, contendit per cohaesionem materiae motae. Omnes, inquit, ideae nostrae organorum internorum motibus absolvuntur, qui quidem sese excipiunt, prouti vel hoc, vel alio ordine invicem se sequuntur res in sensus incidentes. Manent illi motus, manet saltem ad eos perficiendos dispositio quaedam, vel tunc ubi non amplius in sensus incurunt res externae; hac tamen lege, ut cum sint levissimi tenoris, conscientiam sui producere non valeant. Sed si motus ille, vi satis magna, ex parte quidem rursus excitetur, caeteras partes secum conjunctas reducat necesse est, eadem fere vi, cujus ipse est participes. Hoc ipsum Hobbesius, consequentiam, sive seriem cogitationum dicit. Inter eos ergo recensendus est, quorum sententiam paragraphi antecedentis sectione priori proposui, ex quo loco, quid de philosopho nostro judicandum sit, simul apparet. Quidquid enim sub voce organorum internorum sibi finxerit, idem quod de nervis supra constituimus ad illa accommodari posse dubio caret. Unum mihi restat monendum, scilicet Hobbesium accu-

accusatione ista dignum non videri, qua id egisse solummodo dicitur e), ut modum, quo ideae invicem connectantur, explicaret, neglexisse vero leges generales, secundum quas connectio ista instituitur. Diserte enim dicit d), ideas in phantasia eodem ordine succedere, quo in organa sensuum egerint res externae. Alio praeterea loco e) magis fere diserte idem asserit: impressiones a rebus externis factas semper manere, ideoque omnes earum ideas, simulac una ex simultaneis moveatur, eodem ordine commoveri, quo per sensationem olim perceptae fuerint. Quantum equidem video, legem phantasiae, quam late pateat, ab eo esse descriptam, negari non potest. Qui vero negant, ab hac regula legem similitudinis, quam sequitur phantasia, plane differre, immo ista universaliorem esse statuere videntur f); atque hac ex parte reprehendere Hobbesium, quod ideas humanas secundum similitudinem etiam inter se associari diserte non dixerit. Sed dixit implicite:
legem

c) *Hifsmanns Geschichte. d. A. L. p. 33.*

d) Hob. Levi. c. 3.

e) Hobb. elem. philos. sect. I. p. IV. c. 25.

f) *Hifsmann p. 49.*

legem enim similitudinis neque genere suo differre a lege coexistentiae, neque multo minus hac esse universaliorē, immo potius sub ea comprehendi, infra videbimus. (§. 12.)

§. 9.

Iam dicendum nobis est de Cartesii circa argumentum nostrum sententia; qui cum aetate ad Hobbesium proxime accederet, philosophia tamen longissime ab eo remotus fuit, cum in universum, tum praesertim in informanda de anima theoria. Attamen nonnihil commune habere videntur; nempe in eo, quod idearum associationem per mechanismum cerebri explicare studeant. Licet vero de hac disciplina, in universum spectata, conveniant, quod ad modum tamen attinet, quo associationem perfici contendunt, longissime inter se differunt. Ut vero satis accurate de Cartesii sententia judicare liceat, quod eo minus expeditum est, quo magis et quo saepius ardens ipsius ingenium hypotheses construxit, quae fundamento satis solido gaudere non videntur, res paulo altius est repetenda. Nimirum spiritus animales g), quorum ope agit phan-

g) Cart, de passion. P. I. art. X.

phantasia, cum nihil sint nisi vividiores et subtiliores sanguinis partes, postquam in corde praeparati sunt, simul cum sanguine per arteriam magnam ad cerebrum recta linea ascendant. In cerebro deinde a partibus sanguinis, minus subtilibus, separantur; sive accuratius, in glandula ea, quae sub nomine colarium venit, et a plexu nervorum choroide circumdata est. Quam quidem sententiam defendit de la Forge h), acutissimus Cartesii discipulus, qui simul hanc glandulam eam esse vult, quam Cartesius propriam animae sedem esse declaraverat. E cerebro porro per ejus poros transeunt in nervorum tubulos, ex his denique in musculos, ita ut hoc modo qualescunque corporis motus producere possint. Iam vice versa imagines rerum externarum exceptas ad animam deferunt, partim simul cum nervis, quorum tubulis inclusi tenentur, partim horum ope non usi i). Nempe perceptiones nostrae duarum sunt specierum k): aliae animam pro causa habent, aliae corpus. De istis infra dicemus; hae l) vero dupliciter ite-

h) De la Forge, tract. de ment. hum. XV. §. 24.
 i) Cart. de pass. P. I. art. XXI.
 k) Cart. l. c. art. XIX.
 l) l. c. art. XXI.



iterum dividi possunt: in eas, quae a nervis dependent, partemque longe maximam constituunt; ac eas, quae a solis spiritibus gignuntur, ac species sunt imaginationum. Haec vero species ea est, quam accuratius inquirere nos oportet; altera enim refertur ad perceptiones eas, quarum causa sola anima habenda est, de quibus infra. Nervi, cum rerum externarum imaginem ad animam deferunt, quod quidem ipsis incumbit negotium, in cerebro quaedam vestigia relinquunt, quae ^{m)} nihil aliud sunt, quam quod pori cerebri, per quos spiritus coeperant cursum suum. Pori isti per praesentiam rerum externarum majorem facilitatem adquirunt, sese rursus aperiendi spiritibus ad se venientibus. Itaque quando ex glandula, ubi separantur, spiritus animales emittuntur, istos poros potius transeunt, quam alios, qui tanta facilitate ipsis sese non aperiunt. Dum vero per eosdem poros transeunt, easdem simul animae reducunt imagines, ita ut hoc modo existat memoria et phantasia. Imagines vero hac ratione ortae, quoniam non habent causam tam notabilem, et tam determinatam, ac perceptiones quas anima recipit opera nervorum, harum

D 2

tan-

m) l. c. Art. XLII,

tantum esse videntur umbra et pictura. Quamquam Cartesius legem, secundum quam phantasia componat imagines suas, disertis verbis non addat, ex eis tamen, quae modo dicta sunt, facili negotio colligi potest. Nam si spiritus animales, quam olim ingressi fuerant viam, agitati rursus profequuntur, ac per eodem poros proficiscentes, easdem perceptiones producant, ideam α secum excitaturam esse apparet ideas, quibuscum simul in animam introivit $b c d$; horum enim vestigia subito obviam se praebent spiritibus versus vestigia $\tau \delta$ α agitati, et facilius quam alia sese eis aperiunt. Atque sic secundum Cartesii disciplinam phantasiae lex statui possit haec: ideam alteram ab altera commoveri, simul cum ipsa percepta. Verissimum omnino praecipuum; sed modus, quo idearum repetitio a Cartesio explicatur, minime caret difficultatibus eis, quarum supra (§. 7. sect. II.) mentionem fecimus. Neque id non animadvertisse videtur summus philosophus. Addit enim n), imaginationes a corpore pendentes eo procedere, quod spiritus animales diversimode agitati, et reperientes vestigia diversarum impressionum, quae praecefferint in cerebro, cursum

eo

n) Cart. I. c. art. XXI.

eo dirigant *fortuito* per quosdam poros potius, quam per alios. Itaque quod per leges motus, quibus necesse est obediant spiritus animales, explicari non posse intellexit, ut illesiones somniorum, nec non eae quae vigilantibus accidunt, id casui voluit tribuere. Quam parum vero conveniens sit, hoc admittere, eos non fugiet qui ad cognoscendam rationem, qua, cum in omni rerum universitate, tum etiam in humana natura omnia evenire solent, animum adpulerunt. Immo contra disciplinam eorum, a quibus talia praecepta nobis tradi intelligimus, iudicium praeconcep- tum tulisse nefas esse nullo modo videtur. Duplex quod attingamus superest argumen- tum; alterum in eo versatur, ut audiamus eos, qui legem phantasiae Cartesio plane incognitam fuisse clamant; alterum ad metaphy- sicum philosophi systema spectat.

I. Qui negant, Cartesium rite perspectam ha- buisse phantasiae nostrae naturam, his fere rationibus nituntur:

a. primum ea, quam ipsi modo in medium attulimus, scilicet in phoenomenis a phan- tasia oblati nonnihil casui tribui; nemi- nem

nem enim qui, quae ullo modo in anima simul percepta fuerint, iterum in phantasia componi sciat, hanc sententiam sequi posse. Ad haec vero dupliciter potest responderi; primum: argumento laudato nil probari, nisi veram et satis latam phantasiae legem Cartesio notam non fuisse; deinde: ne hoc quidem ex ejus praeceptis cogi posse. Nam in superioribus rationem reddidimus, cur ipsi sic disputandum fuerit; nempe nullo modo, quia quem sequitur phantasia modum agendi ignoraret, sed quoniam potius omne ejus imperium, quam late patet, cognitum haberet, ita ut simul multa in eo comprehendi intelligeret, quae legibus motus constringi non possint. Itaque eo minime prodit, legem phantasiae ipsi ignotam fuisse, sed modum tantum quo producerentur et rursus exciterentur ideae, non satis accurate definitum.

- b.* Secunda deinde, qua in hacce disputatione contra Cartesium utuntur, ratio ea est, quam nos ipsi contra Platonem attulimus; nempe nemini persuasum fore, legem

gem associationis, cum tanti sit momenti, diserte a Cartesio propositam non esse, nisi ignota ipsi fuisset. Sunt vero, quae sic existimantibus dissuadeant. Monet enim Cartesius o): imaginationes inde proficisci, quod spiritus animales reperiant vestigia impressionum, quae in cerebro praecefferint, et deinde: spiritus, quam antea ingressi fuerint viam, persequi solere; quibus eum innuere voluisse apparet, ideas vulgo eadem conditione in phantasia repeti, qua sensibus olim fuerint perceptae.

c) Tertium denique argumentum, quod afferri potest, et quidem speciosissimum, sic audit: statuere Cartesium, multas imaginationes a voluntate nostra pendere, hoc vero pugnare cum experientia, voluntati minime submissos esse phantasiae effectus, satis docente. Ut haec lis satis commode dirimi possit animo repetendum est, quod jam supra monuimus: imaginationum simul et omnium in unum perceptionum genera, dupliciter a Cartesio dispesci: in eas, quae a corpore

o) l. c. art. XXI.

pore dependeant, et eas, quae animam habeant pro causa. Ut primum dicamus de perceptionibus in genere, pro causa animam habere dicit p) eas, quae sint perceptiones nostrarum voluntatum, et omnium imaginationum aut aliarum cogitationum, ab anima nostra dependentium; ergo quod idem est quarum in voluntate nostra sit ratio sufficiens. Hoc vero dupliciter intelligi potest, ac prouti vel hoc vel illo sensu adhibeatur, aut verum esse aut non esse videtur. Quod si enim hoc sibi volunt ista verba: dari nonnullas perceptiones, quarum ratio proxima voluntate nostra contineatur, conceditur; nam experientia docet, ad hanc vel illam rem considerandam, pro lubitu nos advertere animum; sin vero unquam ut alius perceptionis rationem prorsus sufficientem in voluntate nostra positam esse verbis istis affirmetur, negamus; nam omnem voluntatis actum perceptio anteccedat necesse est. Quod quidem si applicamus ad Cartesii sententiam, qua nonnullas imaginationes a voluntate pendere defendit, quid de ea
in

p) art. XIX.

in genere judicandum sit, facile colligitur. Sed jam supra monuimus, ad imaginationes determinatas nunquam pertinere voluntatem, atque hoc ipsum a Cartesio statui, qui, quoniam sensu vocabulum imaginationis usurpet, non satis accurate attendens, legerit ea, quae art. XX. addit, fortasse sibi persuadebit. *Anima nostra*, inquit Cartesius, *applicat sese ad imaginandum, in concipienda Basilica quadam magica aut chimera, aut re aliqua, quae solummodo est intelligibilis.* Primum vero vox imaginandi non ita hic adhiberi videtur, ut quamvis perceptionem, dum a phantasia componitur, indicit; sed potius iamjam compositam, dum repetitur memoria. Immo si ab hoc desistamus, omnibus tamen, quae de hac re Cartesio probantur, nil nisi hoc inest: vim quandam animae nostrae competere, phantasia, ut, quidquid futurum sit, componat, stimulandi. Hoc vero apparet, ubi additur his ipsis verbis: *perceptiones, quas habet (anima) illarum rerum (quae non sunt) praecipue pendent a voluntate, quae efficit ut eos percipiat.* Voluntatem igitur solummodo defendit efficere,

ficere, ut adsint perceptiones, non vero hoc vel illo modo determinatae. Cum phantasiae relinquat eas rite determinandas, earum existentiam voluntati tribuit. Quae quidem est causa cur dicat, a voluntate praecipue pendere istas perceptiones.

II. Restat denique alterum, de quo tribus verbis loqui instituimus. Sunt qui credant, omnem hanc sententiam, qua vestigiis in cerebro ideas copulari, simulque illis intercedentibus resuscitari et associari statuitur, multo difficilius Cartesio probatam fuisse, quam aliis, quoniam pro systemate ipsius corpus inter et animam nullus nexus intercederet, quam quod actiones utriusque harmonicae, per causas occasionales, sibi obviam venirent. Hos vero, qui ita philosophantur, rogatos esse volo, ut quantum differat eandem rem metaphysice explicare, et in eandem secundum leges psychologicas inquirere, in memoriam revocare velint. In psychologia enim, praesertim empirica, sicut semper in physicis, non, ut in metaphysicis fieri solet, causas rerum primas exploramus, sed tantum secundas. Itaque cum
tio

hac conditione phaenomenorum tantum ratio habenda sit, per systema suum metaphysicum nullo modo impeditus fuit Cartesius, quin cursum spirituum per cerebri poros pro idearum causa physica haberet.

Ex omnibus, quae de disciplina Cartesianae hucusque dicta sunt, cogi posse videtur: eam minime sufficere ad explicanda phaenomena secundum leges mechanicas omnia in phantasia observationi obnoxia. Ratione memoriae idem diserte profitentur, qui disciplinae isti addicti sunt q): nempe praeter memoriam et reminiscenciam corporalem, quarum illa conservet vestigia, ab objectis impressa, haec eorum percipiat reditum, menti adhuc inesse volunt memoriam spiritualem, qua cognoscat, utrum idea oblata respondeat objecto novo, an vero jam antea aliquam ejus habuerit cognitionem. Quae dum fatentur, identitatis conscientiam corporis mechanismo se explicare non posse fati produnt.

§. 10.

Inter Cartesii discipulos, qui memoria digni sunt, summam sibi gloriam comparavit Malebran-

q) De la Forge tract. de ment. hum. c. XIX. §. XXIII.

lebranchius, vir ingenio sane non mediocri praeditus. Qui, cum toti praeceptoris systemati recens lumen accenderet, ejus de anima disciplinam auxit, adornavit, perfecit. Quod ad doctrinam de associatione idearum attinet, in universum quidem cum ipso consentit, multa tamen addit nova, praeceptoris nondum probata. Eis vero assentiendum non esse, qui ipsi, tamquam primo phantasiae humanae legislatori, lauream vindicare studeant ^{r)}, in aprico est, nisi falsa sint ea quae supra de Aristotele et Lud. Vive commentati sumus. (§. 4. 6.) Si vera sunt, extra dubitationem positum est, Malebranchium verae, cui paret phantasia, legis ne inter recentiores quidem esse restauratorem, multo minus, ut volunt, primum inventorem. Caeterum haec monenda:

Ut explicaret, quomodo per vestigia, cerebro a spiritibus animalibus impressa (traçes), idearum associatio comprehendi possit, primum ostendendum ei fuit, ideas inter et vestigia mutuum nexum intercedere; dein: unde originem ducat ille nexus. Postquam alterum peregit, in altero ita versatur ^{s)}, ut tres
ratio-

r) Histin. I. c.

s) Maleb. rech. d. I. ver. liv. II. p. 1. ch. 5.

rationes subducat, quibus ideas copulari vult vestigiis; quorum prima est voluntas dei immutata; secunda deinde, identitas temporis; nostra denique voluntas, tertia. Hanc vero ultimam rationem, tamquam inanem et fictitiam reprehendunt ^{t)}, animam nostram contententes carere ea in phantasia potestate, ut pro lubitu suo ideas componere et associatione complecti possit. Praeterea si verum sit hocce praeceptum, nullo alio nos indigere; unum enim illud sufficere, ad omnia, quaecunque in phantasia occurrant, explicanda.

Equidem vero hoc nomine Malebranchium non accusaverim. Qui accusant, iniqui videntur. Verum omnino est, a voluntate nostra minime dependere, quatenus ideae, ac quot eis, quae jam in animam incurrunt, socias sese praestiturae sint; neque vero hoc ullo modo Malebranchio visum fuit. Nam distinguendum est inter leges, secundum quas idearum associationem, idque earum quae jam ex parte in animo insunt perfici statuimus; et causas, quibus effici volumus, ut ideae quaedam cum quibusdam definitis affectionibus in posterum simul sint. Has vero causas, cum de

t) Histm. I. c.

de conjunctione idearum cum vestigiis in cerebro loquatur, loco supra laudato Malebranchium innuere voluisse, dubio caret. Atque si hoc fumimus, non est quod dubitemus, voluntatem nostram causarum earum numero esse adscribendam. Res ipsa loquitur. Memoriae quidquam mandare instituentes, quod litteris descriptum est, ad singulos locos, prae ceteris graves, nunc in margine crucem depingimus, nunc alium quendam characterem. Iam cum imagine crucis in anima conjungitur ista propositio, quam litteris traditam vidimus, eadem pagina, qua crucis figura in oculos incidit. A voluntate vero nostra dependit, an ista figura potius uti vellemus, vel alia quacunque; itaque simul dependit a voluntate idearum istarum cum hac imagine conjunctio.

Imo si de legibus phantasiae agentis loqui voluisse Malebranchium concedamus, atque eo peccasse, quod istam voluntati subdidit: attamen non simul ex altera parte in crimen ipsum vocare possumus, quod ii faciunt, qui cum voluntatem, si vera phantasiae lex sit, solam sufficere dicant, plures leges a Malebranchio allatas recensent. Eo enim ostendunt, inutile quid ab eo esse susceptum,
imo

imo a veri natura alienum. Nam etsi revera voluntas dirigeret phantasiam operantem, certe tamen et aliis etiam legibus opus foret. Profecto enim contra experientiam quotidianam pugnare nemo sustinet, quae saepenumero in anima suboriri ostendit ideas, per voluntatem nostram sane non exitatas, immo quae ei prorsus sunt contrariae. Rem, quae tadium nobis mouet, licet prorsus e phantasia delere summopere contendamus, eadem tamen simul cum quavis alia re, quacum conjuncta esse solet, obviam animo sese praebet.

Quum Malebranchii, causas idearum recensentis, cum vestigiis conjungendarum, rem egerim, jam vice versa nomen ipsius deferens, peccati alius, hoc eodem argumento commissi, eum accusare conabor. Nimirum primam connexionis idearum cum vestigiis causam asserit esse voluntatem Dei, sive, quod idem est, dari quasdam idearum cum vestigiis in cerebro conjunctiones connatas. De quo vero, cum nullum animae accidens, seu conceptum determinatum, non a rebus externis in animam transiisse, argumentis satis probabilibus demonstrari possit, nobis liceat dubitare. Ubi enim quaeritur, an conceptus aliquis sit, uti
di-

dicunt, a priori, vel per experientiam informatus, haec sibi summo suo jure vindicat praesumptionem. Quare eis, qui contrarium affirmare sustinent, incumbit probatio; nempe: fieri nullo modo posse, ut conceptus, de cujus origine lis est, tanquam experientia petitus fingatur. Quod si arduum est in genere, ac, ut videtur, nullo pacto fieri potest, ea sane exempla, quae affert Malebranchius, luce meridiana clarius est, non probare ejus sententiam. Primum, quo utitur, nempe naturalem obtinere conjunctionem inter vestigia, quae imprimit arbor, et inter arboris ideam, huc non pertinet. Nam licet per se certum sit, unamquamque ideam oriri per impressionem sui ipsius objecti, seu sibimet ipsi conjunctam esse; hoc exemplum specie differt a caeteris, quibus evincere sibi sumit Malebranchius: dari ideas, quae cum vestigiis, per aliam quam ipsarum objecta impressis, a natura conjunctionem habeant, ita ut earum origo non indigeat antecedente sensuum commotione; quod aliter in exemplo priori. Huc referendum est v. g. pro creatoris voluntate conjunctam esse ideam roboris cum vultu minaci. Alta voce reclamatur experientia. Videmus enim infantem, nisi jam antea, simul cum vultu

vultu minaci quidquam plane non jucundi sensibus perceperit, patri, minantis ore ipsum compellanti, arridere, tanquam novi aliquid ostendenti. Quare, si ne minarum quidem idea naturaliter conjuncta est cum significatione earum in aliis externa, quanto minus roboris, quae quidem ista innitur!

Quod denique attinet ad eam conjunctionis idearum cum cerebri vestigiis rationem, quam secundo loco affert, nempe identitatem temporis; hanc unam constituere causam effectivam, monuisse juvat; in voluntate nostra solummodo contineri causam, ut dicunt, occasionalem, et moventem. Constat enim ubi vestigiis quibusdam ideas determinatas, annectere voluerimus, has simul cum iis animo a nobis subduci oportere.

His praemissis, ad ea progredior, quae de propriis phantasiae actionibus Cartesii discipulo visa sunt. Absolvitur vero idearum associatio, ex sententia ejus, non alio modo, quam secundum philosophiam Cartesianam (§. 9.). Conjunctio mutua, inquit u), (et quidem

u) rech. L. II. p. I. ch. 5.

dem omnis, cum propositionem nulla conditione restringat) quae obtinet inter vestigia, cerebro impressa, eoque ipso etiam inter ideas, eis respondententes, eo consistit, ut vestigia, simul impressa, simul etiam resuscitentur, alterum ab altero. — Ex hoc vero sequitur: quamlibet ideam a quavis resuscitari, si modo simul cum ea percepta fuerit. Exempla, quae affert, ejus naturae sunt, ut idem rite ex iis cognosci possit. Si x) quisquam, inquit, interfuit pompae publicae, animumque advertit ad omnia, quae ipsum circumdarent, ad locum, tempus, homines adstantes, aliasque res exigui momenti; in posterum omnia in mentem recurrent, simulac loci solummodo, vel rei longe levioris, imago resuscitata fuerit. Qui hac argumentatione adducti, modum agendi, quem phantasia sequitur, perbene notum fuisse Malebranchio, concludant, de lata sua sententia rursus dubitare possint, si eum postea audiverint dicentem: causam nonnullarum conjunctionum, quae obtineant inter vestigia, in temporis, quo impressa fuerint, identitate sitam non esse; sed potius in immediata creatoris voluntate. Mihi quidem ita videtur: Malebranchium perspectam omnino

x) Maleb. l. c.

nino habuisse legem eam, qua phantasia omnia, quae ejusdem perceptionis integrae partes constituerunt, conjungit; sed non satis animadvertisse ad infinitam ejus vim, ad omnes omnino phantasiae actiones pertinentem. Alioquin enim asserere non potuisset, non nulla saltem vestigia, ideoque nonnullas ideas, alia ratione, quam temporis identitate, conjungi. Duae vero sunt, prae ceteris, in systemate ejus rationes, quae nos doceant, quomodo in istam argumentandi rationem inciderit; altera est: quod a naturae nostrae auctore nonnullas ideas ita credat esse comparatas, ut alienis quibusdam vestigiis socias sese praebent. De hac vero sententia jam supra dictum est. Alterum, quo comprehendi posse credo, cur identitatem temporis non pro generali associationis lege habuerit, hoc est: quod eum non potuerit fugere, multa in phantasia humana inesse, quae explicationem non admittant, a cursu spirituum animalium per vestigia cerebri petitam (§. 7.). Qui vero non ignorant, in phaenomenis, quae sibi explicanda sumserunt, quidquam comprehendi non posse ex eo principio, quo omnia derivare student, faciliores sunt in admittendo quovis alio, quod speciem non prorsus exiguam prae se fert. Quare,

E 2

nisi

nisi ex conjunctione vestigiorum, per objecta cerebro impressorum, nonnullas idearum associationes comprehendere non posse intellexisset, cum vix arbitror eo adduci potuisse, ut, praeter identitatem temporis, aliud associationis principium amplecteretur. Immo, si ex immediata Dei voluntate certas quasdam ideas colligatas esse, asseverare voluisset; attamen, cum una tantum esse possit natura phantasiae, omniaque, quae Deus in nobis fieri vult, per vires insitas efficiantur, eodem principio, quo caeterarum idearum associatio perficitur, scilicet temporis, quo percipiuntur, identitate, illas etiam sibi invicem annecti non negandum fuisset. Hoc vero e mente Malebranchii fieri non potuit. Nam ante omnem experientiam adesse voluit idearum istarum associationem. Iam vero dupliciter contra ipsum ex concessis disputamus; hoc uno praemisso, nempe: omnia ad naturam nostram referenda, salva hac natura, integra semper adesse debere. Sin hoc verum est, secundum ipsum Malebranchii systema, nullam associationem naturalem dari, duplici ratione patet.

a) Vestigia nihil aliud sunt, nisi pori cerebri, per quos spiritus animales, cum jam olim

olim transiverint, facilius penetrare possunt, tanquam via sibi nota et familiari. Sed transitus ille tempore determinato peragatur necesse est.

Itaque vestigia, inde ab initio naturae nostrae, non statim adfunt; multo minus vestigiorum certae conjunctiones, a quibus idearum associatio pendeat.

b) Deinde ipse fatetur Malebranchius: fieri nonnumquam, ut naturales vestigiorum conjunctiones dirumpantur y); quod vero, si revera naturales essent, parum convenienter affirmaretur. Nempe finis, quem in vestigiis istis copulandis propositum sibi habuit natura, idem semper manet. Malebranchius hoc naturae consilium in eo esse vult, ut vita nostra conservetur; affertque exempla, huic opinioni accommodata; v. c. vestigium saxi praecipitis, in caput nostrum imminentis, a natura conjunctum esse cum vestigio, cui mortis idea adhaereat; necessarium enim esse, adjungens, ad nostram conservationem, ut talem conditionem effugere conemur, hoc vero effici per ideam mortis. Cum re vera
ejus-

y) rech. L. II. p. I, ch. 5.

ejusmodi associationes, etsi rarissime, disjungi possib; doceat experientia; simul vero, quidquid naturae partem constituit, salva natura, tolli non possit: intelligi credo, unde accidat, ut Malebranchius hoc in argumento sibi met ipsi contradicat. Cum enim, etsi indirecte, satis clare tamen, concessus esset, vestigia, per naturam conjuncta, nonnunquam dirumpi, paulo post disertè declarat ea *minquam* mutari. En ipsius verba z): *Il y a dans notre cerveau des traces, qui sont liées naturellement les unes avec les autres, et encore avec certaines émotions des esprits, parceque cela est nécessaire à la conservation de la vie, et LEUR LIAISON ne peut se rompre, ou NE PEUT SE ROMPRE FACILEMENT, parce qu' il est bon, qu' elle soit toujours la même.* Et postquam exempla attulit, ita pergit: *Cette liaison NE CHANGE JAMAIS, parce qu' il est nécessaire, qu' elle soit toujours la même.*

§. II.

Numero eorum, qui aevo recentiori philosophiae facem praetulerunt, ac immortalem ob merita sua sibi compararunt laudem, in primis adscribendus est Lockius, vir singulari-

z) l. c.

gularibus animi dotibus exornatus. Neque dignus est, cum idearum in phantasia connectio nomine associationis, quo hodie gaudet, primum ab eo appellata sit, cujus nomen taceat hic noster libellus. Eum vero a Malebranchii disciplina hoc praefertim articulo dissentire, ut nullam admittat associationem idearum naturalem atque connatam, primo intuitu patet. Ideas enim connatas in anima nostra minime reperiri, quam diligentissime defendit. Itaque, cum ratio nulla cogitari possit, nisi simul adsint res, ad quas referatur; idearum copulatio connata ei probari nullo modo potuit. Cavendum vero est ne, quod a nonnullis factum esse memini, male intelligamus, quae de naturali idearum quarundam cognatione differit ^{a)}. Explicare studet hoc loco, cur non raro aliorum hominum, si non absque, parum subtilia tamen, iudicia nobis esse videantur. Qua quidem de re quam subtilissime sic disputat, ut plurimum quidem rationibus subjectivis, non nihil vero objectivis tribuat. Omnibus, inquit, in omnium opinionibus, argumentationibus, vivendi modo aliquid absque et inconveniens videri.

a) Locke Essay concerning humane Understanding.
B. II. Ch. XXXIII.

ri. Culpam quidem in nostram ipsorum philantiam, educationem, in judicia nostra praecepta, maxima ex parte verissime conjici; attamen dubitari vix posse, quin uniuscujusvis hominis cogitandi, agendique rationi aliquid admixtum sit, ejus generis, ut, si modum eundem, quem nonnumquam solet, in judiciis suis et actionibus semper sequeretur, Anticyris potius, quam convictu humano dignus putandus esset. Quod quidem eo proficisci asserit, quod ideae, nulla cognatione naturali sibi affines, in animis hominum vel casu, vel consuetudine invicem annectantur; connexae vero sibi mutuo praesto sint, nec altera mentem subeat, nisi simul secum adducat sociam. Hac argumentatione cum de naturali idearum cognatione loquitur Lockius, non subjectivum, sed objectivum potius habitum idearum logicum eum innuere voluisse, dubitari vix potest. Qui enim, si illum indicare sustinuisset, ex conjunctione idearum, naturaliter non cognatarum, qua tali, quidquam absurdi proficisci potuisset asserere? Quid? hoc ipsum iudicium absonum foret. Nam concipi non posset, nisi hoc modo, ut ex consideratione naturae humanae a philosopho nostro collectum sit. Quare non sic interpretemur istum locum,

cum, ut Lokium secum pugnare credamus. Caeterum de principio, secundum quod idearum associatio perficiatur, non invenio eum diserte disquisivisse. Ex ea, quae modo allata est, argumentatione, sic eum de hac re disputasse colligi potest: dari in animo certos idearum complexus, ita constitutos, ut singulae ideae, complexibus istis contentae, mutua associatione in phantasia sese producant. At vero legem, qua isti complexus informentur, prorsus tacens, modum unice, quo ideae conjunctae se invicem revocent in memoriam, obiter attingit, habitus animae cogitativos cum locomotivis in corpore conferens; ac utrosque absolvi, pronuntians, per continuationem motus, serie quadam propagati, quo spiritus animales ferantur, qui semel concitati, postea consuetum cursum retinere soleant. Attamen eum non omnino sibi persuasum de hac sententia habuisse, ex eis, quae addit, suspicari nos posse existimo. *Quatenus nos, inquit b), de cogitandi modo judicare valemus, ideae dicto modo in mente produci videntur; sin minus, hinc tamen intelligitur, quomodo perpetua serie, atque tractu aequabili se invicem consequuntur; ac corporis motus ita explicantur.*

E qui-

b) Ess. conc. hum. Uuderff. B. II. ch. XXXIII.

E quibus verbis, quod dixi, verum esse: scilicet opinionem eam, qua idearum associatio e cursu spirituum animalium derivatur, tanquam meram hypothesein proponi a Lockio, patere videtur.

§. 12.

Cum in legibus phantasiae definiendis, inde ab Hobbesij aetate, per totum fere saeculum, id egissent philosophi, ut eas ex mechanismo corporis derivarent, Wolfius, qui summi ejus ingenii, cujus insita vis et omnis fere generis merita nostris laudibus non egent, ejus, quod patria gloriunda prae se fert, ingenii, praeceptis ornatus ad philosophiae studium sese accingeret, et huic de phantasiae actionibus disciplinae, novum lumen iterum accendit. Diligenter enim attendens ad omnes, vel diversissimas condiciones, quibus ideae, alterae alteris quibusdam, sese socias exhibent, caeteras leges omnes non animadvertere non potuit ea comprehendi, quam his verbis proponit c): Quod si res aliquas sensibus simul percipimus, unius ex eis sensatione iterum producta, in phantasia simul et caeterarum sensationes excitantur.

Repe-

c) Wolf. psych. §. 117.

Repetendum est hoc loco, quod jam supra monuimus (§. 8.), lege laudata comprehendendi etiam similitudinis legem. Sunt enim d), qui ab hac nostra sententia discrepent, atque hanc legem vel illa superiorem esse credant. Unde fit, ut Wolfio phantasiae legis, rectissime definitae honorem vix concedant. Immo reprehendant eum hoc nomine, quod, quae unice ex lege similitudinis explicationem admittant, ad legem coëxistentiae componere studuerit. In medium v. g. afferunt exemplum, quo ad psychologiae §. 104 utitur, ubi sic disputat: quod si horti alicujus, quem oculis nunquam percepimus, informamus ideam, eamque talem, ut ambulacris sub arborum umbra exornatum hortum fingamus; ubi casu in oculos indicerint ejusmodi ambulacra, statim horti, quem phantasia finximus, imago mentem subit. Quam quidem associationem inter eas, quae ob indentitatem temporis, quo ideae primum perceptae sunt, perficiuntur, male referri arbitrantur. Quod autem ad omnem istam sententiam pertinet, nescio, quomodo ideae similes associari sibi mutuo possint, nisi hac conditione, ut simul seruetur lex coëxistentiae? Cum enim similes sibi sint ideae *a* et *b*, utri-

d) *Histm. Gesch. d. Ab.* p. 49.

que convenit character *c*. Quare si $\tau\omega$ *a* associatur *b*, caeteri $\tau\epsilon$ *b* characteres, praeter *c*, cum hoc jamjam simul percepti fuerunt; ideoque $\tau\omega$ *a* nihil conjungitur, quam quod cum character e *c* simul est perceptum. Haec ad exemplum laudatum facile possunt accommodari. Nam si ad spectus arborum, ad normam dispositarum, in animo nostro ideam horti, quem mente finximus, movet, tales arborum series continuas, simul cum caeteris horti partibus, olim cogitavimus; itaque earum ad spectu nihil resuscitatur in anima, nisi quod olim in eam intravit, imaginibus arborum introeuntibus. Quae cum ita sint, neque, quomodo non probari nobis possit Wolfii sententia, neque, qua ratione aliquam saltem ineptiae speciem praeseferat, satis intelligo. Liceat observasse hoc loco, quid idearum associatio, in ferendis judiciis nostris, vel maxime distinctis, valeat. Haec scilicet efficit, ut alieno plerumque lumine radiant res omnes, ideoque coloribus, a quibus abhorrent, tinctae videantur. Credimus quidquid optamus; vel in eis praeceptis, quae a distincta cogitatione pendent. Quare in omnibus fere judiciis mortalium objectivis rationibus, quibus, quid verum sit, quid non, disceptandum est, admixtae

mixtae sunt subjectivae. Exemplo sint iidem, qui phantasiam secundum legem similitudinis in universum imagines suas componere, stantentes, hoc nomine Wolfium nostrum reprehendant, quod legem istam, tamquam generalem, diserte, vel satis distincte, non proposuerit. Attamen cum eum de phantasiae actionibus quam subtilissime differuisse non ignorent, legem istam similitudinis ab eo defensam esse volunt, ubi de ea differere, ne in mentem quidem Wolfio venit e). Scilicet afferunt locum, quo dicit f): quando sensus nostri aliquid nobis offerunt, quod cum sensatione, qua alio tempore gavisi sumus, commune quid habet, hoc simul in anima producit; i. e. si pars aliqua praesentis sensationis totalis, praeteritae alicujus simul pars est, haec omnis in mentem recurrit. Neminem, credo, qui candide ac integre de hoc loco laudato judicat, quidquam in eo esse inventurum, praeter legem coëxistentiae, quam, tamquam phantasiae generaliter latam, Wolfius commendat. Caeterum si hac lege superior esset lex similitudinis, haec ipsa omnium foret suprema, atque singulae aliae ipsa inferiores

e) Hist. S. 51.

f) Wolf. Metaph. § 238.

res evaderent. Hac vero conditione, quomodo ideae, inter quas nulla intercedit similitudo, immo quae sibi omnino contrariae sunt, alterae alterarum societatem ineant, nulla sane ratione docemur. Quod si quis dicat, in omni rerum universitate nullas res inveniri, omni prorsus similitudine destitutas, hunc eundem non fugiet, per plurimas dari, quae, licet singulae earum ideae nobis non sint ignotae, in phantasia minime conjungantur.

§. 13.

Primus, cui plures simul phantasiae leges arriderent, nisi forte Cartesium huc referre placeat, Humius fuit g): tres enim esse voluit; nempe primam, similitudinis (*resemblance*), secundam deinde, coëxistentiae in loco et tempore (*contiguity in time or place*), tertiam denique, causalitatis (*causation*). Quarum vero primam sub secunda comprehendendi, e superioribus liquet (§ 12): ac de ultima asserendum esse idem, dubito an quis sit, qui non largiatur. Plures, praeter has, forte inveniri posse leges, fatetur Humius; ac inferiorum sine dubio maximum numerum concipere licet. Quamvis igitur in definiendis hisce regulis

non

g) Enquiry conc. hum. Understanding.

non satis accurate verfatius fit, in phantasiae tamen actiones tam subtiliter inquirat, ut eas nunquam regulis non subjectas esse affirmet; Immo, si phantasiae compositiones nullam ordinis speciem prae se ferant, non deesse tamen, cur ita instituantur, commodas rationes: nempe ideam secum adducere alteram sibi conjunctam. Quod ad ipsas somniorum illusiones extendit.

§. 14.

Ab omnibus qui per oscillationem nervorum, vel spirituum animalium cursum, verbo, per mechanismum corporis, explicare studuerunt associationem idearum, systemate suo differt Hartlejus, qui plurimam simul operam dat, ut reliqua praecepta psychologiae, ideoque etiam ethicae principia, associationis idearum doctrina superstruat. Dupliciter de eo differere instituimus; primo loco pauca dicemus de causis physicis, quarum ope phantasiae actiones patrari crediderit; deinde, quid de phantasiae imaginibus, quatenus in anima conjunguntur, sive, quod idem est, de associationis lege ipsi visum fuerit, inquiremus. Antea vero attendendum est ad discrimen,

quod

quo ex, ejus sententia, ideae sensationesque a se invicem discrepant; nempe his indicatur affectio animae, quae, dum sensuum organa impulsu rei praesentis moventur, obtinet; illis vero eadem affectio, quatenus rebus externis absentibus ita repetitur, ut ejus fati confcīi simus h). Oriuntur autem ideae hoc modo: Sensatio omnis fit per impulsū quendam, quo nervi motus cujusdam tremuli participes fiunt. Qui quidem motus ad cerebrum usque propagatur, sive potius ad medullam cerebri, a qua, cum ejusdem, cujus nervi, naturae sit, excipitur. Interim cavendum est, ne tremulum nervorum motum eodem modo, quo chordarum vibrationes, comparatum esse fingamus; sed eorum potius particulae infinite parvae, ab aethere quodam subtilissimo agitantur, qui nervorum fibras circumdat, easque ad motum impellit, sicut corpora aër minus subtilis. In quavis vero animae affectione simul adest cerebri quaedam mutationem, cum a cerebri vel perfecta, vel minus perfecta natura animae vires omnio dependeant, experientia praeclare comprobatum esse videmus. Sin verò quaeritur
de

h) Hartley *Betracht. über die Menschen, und Theorie der Affec.* (Germ. Rostock und Leipzig 1772.)

de mutationis istius natura, facile patet, nullam eam esse posse, praeter motum; ac si in hunc rursus inquiramus, nullum alium admitti posse, praeter tremulum, iterum facile est videre. Nam omnis motus, praeter hunc, continuus cerebrum destruat necesse est. Sensatione vero facta, ac rursus remoto ejus objecto, per aliqua momenta remanere nervorum et cerebri motum, vario modo docet experientia. Quod si v. g. in circuli peripheria carbo definita celeritate versatur, continuam videre existimamus lineam igneam. Cujus phaenomeni causa haec est, quod carbonis sensatio in singulis peripheriae punctis tam diu servatur a sensorio, donec ad eadem puncta reversus fuerit. Idem est, ubi varii colores continua serie celeriter sese excipiunt. Nempe cum singulorum sensatio simul sit in cerebro, album colorem videre arbitramur i). Vel si res aliqua in oculos incidat, imaginem ejus, oculis subito clausis, non nihil temporis remanere animadvertimus. Cujus generis exemplis per plurimis docemur, tremulum nervorum motum, facta sensatione, non nihil temporis perdurare, licet objectum
fen-

i) Newt. opt. lib. I. exp. 10.

fenfationis jamjam fit remotum; e nervis demum, uti dictum est, ad cerebrum transit, ejusque per medullam libere propagatur, sensim vero minuitur, ita ut motus intensio cum spatii extensione sit in ratione inversa. Ex hac denique naturae nostrae constitutione idearum origo petenda est. Ut vero infinita earum diversitas melius comprehendi possit, primum dicendum est, quotuplici modo inter se differant oscillationes. Nempe

- a. primum differunt gradu, qui quidem definitur ex spatio, quod particulae dato tempore oscillando percurreunt.
- b. Deinde specie, quatenus vel plures vel rariores dato tempore absolvuntur.
- c. Porro differunt loco, quatenus vel hac vel illa medullae cerebri regione originem capiunt.
- d. Denique diversae sunt directione, quatenus a diversis nervis ad cerebrum adductae diversimode propagantur.

Jam ad explicandum, quomodo ex Hartleji sententia ideae cum orientur, tum associatione conjungantur, nos accingimus. Facta sensatione, ut supra dictum est, oscillatio quaedam

dam, five motus nervorum tremulus remanet; ac si saepius repetitur eadem sensatio, ejus inde oritur typus aliquis five imago. Haec vero imago est idea sensitiva, et simplex, respectu earum, quae in intellectu sunt; ac istius generis plures sub se comprehendunt. Nimirum cerebri nervi, dum eadem oscillatione saepius moventur, dispositionem quandam adquirunt, ad producendas oscillationes minutas, isti respondentes; quibuscum denique ideae conjunctae sunt. Ex eis, quae de origine idearum dicta sunt, simul intelligitur, quid de earum associatione judicandum sit. Nempe si sensationes *A B C* eodem tempore fiunt, in ideas, eis respondentes, *a b c* tantam sibi vim adquirunt, ut postea mera sensatio *A*, praeter ideam *a*, producere possit *b* et *c*. Nam e superioribus patet, oscillationibus *A B C* effici cerebri eam dispositionem, ut oscillationes minutas *a b c*, eis respondentes, producere possit. Cum vero per eandem dispositionem conjunctae sint istae oscillationes, *A* simul excitat *b* et *c*. Qua quidem ex argumentatione Hartlejum a partibus eorum stare patet, quorum hypothesin supra (§. 7. I. *ββ.*) recensuimus. Ad ea, quae isto loco in universum disceptavimus, hic nonnulla addere

liceat, ex ipsis præceptis Hartleji petita, quae, cum experientiae repugnent, non nihil faciunt contra totum ipsius systema. De sensationibus sic disputat, ut a dolore oppositam voluptatem gradu perceptionis unice differre afferat. Oscillationes, inquit, voluptatem secum adducentes, ubi iusto vehementiores evadunt, producunt dolorem. Quod quidem eo satis dilucide patet, quod quaevis sensatio gratissima in dolorem abit, simulac vis impressionis iustos limites excedit. Eo enim nervorum oscillationes ita intenduntur, ut dolorem gignant. Sin hoc conferamus cum alio ejus præcepto, nimirum oscillationes per cerebrum ita propagari, ut sensim sensimque imminuantur, donec omnino desinant; dubium nobis suboriatur, an explicari possint dolores, qui, facta levi aliqua in sensus impressione, eaque per se grata, saepius oriuntur. Nempe per idearum associationem. Oscillationis enim gradus major a minori produci nequit. Attamen secundum conditionem suppositam, si associatio idearum propagata nervorum oscillatione unice perficeretur, hoc fieret, necesse foret. Ad producendam enim ideam, majori vi praeditam, simul opus est oscillatione majoris gradus. Cum vero hoc inconveniens sit, ex
prae-

praeceptis Hartleji colligi posse videtur, dolorem ex levi aliqua impressione, ideoque oscillatione, prorsus non vehementi, nulla unquam conditione oriri. Quod vero est contra experientiam quotidianam, quippe quae acerrimum saepe dolorem ex jucunda sensatione proficisci doceat. Pratum v. c. amoenum adspicienti succurrit amici imago, a latronibus crudeliter trucidati, animumque summopere excruciat; et hoc genus plurima. Qui vero, quae de voluptatis atque doloris natura Hartlejus, loco laudato, commentatur, solummodo ad corpus applicare voluerint, primum analogiam, quae est inter perceptiones sensuum externorum et internorum tollere videntur; neque deinde exempla diu desiderabunt doloris, corpore percepti, cujus origo non minus repugnet theoriae de nervorum oscillationibus. Sunt, qui eadem corporis parte dolorem sentiant, qua alteri vulnus feriri vident. Cum vero nulla res externa in sensus ita incidat, ut oscillationes, ad producendum dolorem accommodatae, inde oriri possint, dolor iste ope phantasiae producatur necesse est. Quae cum ita sint, quod de sensibus internis affirmavimus, ad sensus externos eodem jure pertinere, dubitatione caret.

E cae-

E caeteris sententiis, ab eo latis, et hoc argumentum spectantibus, quae castigandae esse videantur, sufficiat duas in medium adduxisse: prima est, quam ex hac propositione: quamvis oscillationem sensum diminui, deducit; nimirum: nullam associationem infinitam esse, sed unamquamque suo tempore finiri. Quod vero, cum omnis status animae antecedens subsequens contineat rationem, licet nonnunquam haud sufficientem, de ulla associatione affirmari vix potest, minime vero de idearum conjunctione v. c. in anima fanaticorum, quorum sensationes externae justo debiliores sunt, et horum fratrum, scilicet mente captorum; in utrisque enim non secundum objectivas, sed subjectivas rationes associatione copulantur ideae, ac omnes ex uno eodemque fonte fluunt.

Altera denique sententia, de qua tribus verbis dicere restat, ad associationem merces successivorum pertinet. Quod si, inquit Hartlejus, sensationes *A B C* hoc semper ordine sese exceperunt, ita in cerebro disponuntur oscillationes *a b c*, ut nullo alio ordine se invicem sequi possint. Quare, si occurrat sententio *B* oscillationem *b* excipit *c* nullo modo *a*;
quare

quare ideae *b* associatur idea *c*, non vero *a*.
Hac ratione fit ut v. g. proverbia solito ordine memoria facile repetere possimus, inverso non possimus. Hoc vero, licet difficile sit, fieri tamen posse, docet experientia.

Caeterum tacere non possum, omni systemati Hartleji de idearum associatione, per oscillationem nervorum facta, diserte contradici *k*) ab Hallero, apud quem de hac re praecipuum est iudicium. Neque hoc, quod contra Hartlejum profert, non pertinet ad Platnerum V. C. cuius sententiam ista difficultate liberam esse volunt *l*). Nam, quae dicit, eisdem, ac praecepta Hartlejiana, principiis nituntur; praetereaque Hartlejo probata jamjam fuerunt. Scilicet sic disputat Platnerus *m*):
Objectorum similitudo eo consistit, ut similes impressiones, ideoque similes nervorum motus producant. Cum vero motus, ad quos producendos machina quaedam praeparata est, a simili motu excitentur, hinc intelligitur, nervorum motibus, simili impressione ortis, produci motus similes, ad quos excipiendos cerebrum

k) Halleri elem. phys. L. XVII. Sect. 1. §. 8.

l) *Hifsu.* S. 85.

m) *Platner Anthropol. Th. 1. §. 442.*

brum jamjam est praeparatum. Hartlejus sic: facta sensatione cerebrum ita disponitur, ut simulac sensatione ejusdem speciei occurrat, motus, qui antecedentem comitatus est, in cerebro repetatur. Sententiam utriusque philosophi eandem esse, cum sensationes, quae Hartlejo specie eadem sunt, similitudine gaudent, unusquisque nobis facile largietur. Iam si concedamus, quidquam novi, et extra omnem dubitationem positi, dictum esse a Platnero, attamen non haberemus, de quo valde nobis gratularemur; nam ista omnia solummodo spectant ad legem similitudinis, quae quidem ab ipso Platnero legi coëxistentiae coordinatur n). — Cum vero satis dictum sit de causis mechanicis, quibus nexum idearum gigni voluit Hartlejus; restat, ut pauca colligamus ex eis, quae de phantasiae lege in genere disputavit. Haec, etsi immediate ex antecedentibus cogi possint, magis diserte tamen ab eo sunt explicata. Cum in eo est, (p. 12.) ut ideas impressionum, sensibus externis obuiarum, typos esse, exponat, argumentum petit ex eo, quod eundem loci et temporis ordinem, quo res, sensus moventes, dispositae fuerint, sequantur ideae. Quamvis enim, inquit,

n) Platners Anthrop. Th. I. §. 441.

quit, ordo ille non raro negligi videatur, in formiorum illusionibus, aut quovis impetu phantasiae; harum tamen imaginum, quae vaga serie sese excipiunt, particulae, ad conformitatem sensationum| antecedentium expressae sunt. Cum hoc verum sit, sententia, de confociatione idearum ferenda, nulla difficultate laborat. Haec enim confociatio respondet ei, (p. 14.) quae obbinet inter sensuum commotiones; hae vero affociatione teneri dicuntur, ubi eodem tempore, vel temporis immediate sibi succedentibus momentis, factae sunt.

His denique addatur locus, quo varios in medium adducit modos, quibus ideae ope sensuum ortae, affociatione jungantur (p. 18 sq.)

a. Si sensatio *A* saepius conjungitur sensationibus *B C D* etc., scilicet ita, ut modo cum *B*, modo cum *C*, etc. simul sit, sola denique *A*, producere poterit *b c d*, oscillationes, quae ad *B C D* referuntur, et quas comitantur ideae *b c d* etc.

b. Si sensationes *A B C D*, diversimode inter se copulantur, ita nimirum, ut binae, vel ter-

ternae etc. mutua compositione simul sint;
A deinde producet *b c d* nec minus *B*,
a d c.

c. Si *A B C D*, ferie continua sese excipiunt,
 simul cum *A* recurrent *b c d*.

d. Sensationes compositae *A † B † C † D*, etc.
 typos in anima relinquunt, facili negotio
 posthac redeunt.

e. Si ex ideis *a b c d*, etc. confinibus, *a* co-
 pulatur cum idea *x*, haec in posterum re-
 vocabit in mentem *b c d* etc; scilicet hac
 ratione fit, ut singularum idearum affinitas
 magis magisque semper extendatur.

Immo sibi spem esse, non disfitetur Hart-
 lejus, fore ut omnes aliquando *ideae*, quae sub
 nomine abstractarum veniunt, exulta magis,
 atque ad perfectionis quendam gradum per-
 ducta, doctrina de associatione, dissolvantur
 in prima quasi elementa, quibus compositae
 sint, nimirum in ideas simplices sensuum.
 Sed jam satis expositum esse credo, quid de
 genuina phantasiae lege philosopho nostro vi-
 sum sit, neque veram istius legis indolem
 ipsi cognitam non fuisse existimo.

Tempore subsequenti, quamvis ad ambitum legis phantasiae extendendum, atque promovendum, neque tribuerent quidquam, neque tribuere possent, diversimode tamen in hoc argumento tractando versati sunt philosophi, modo ex corporis mechanismo, modo ex animae intimo recessu, principia associationis idearum petentes; ita ut ex omnibus fere partibus haecce doctrina, antiquitus jamjam ventilata, nostra demum aetate ornaretur, accuratius definiretur, ad phaenomena explicanda adhiberetur. Fuerunt etiam, qui ab omnibus discedentes, utraque principia simul conjungerent; ita ut in explicanda conjunctionis idearum natura nonnihil animae, caetera corpori adscriberent. Inter quos recensere lubet auctorem libelli, qui titulo: *essay de psychologie*, inscriptus est. Impressiones enim, rebus objectis factas, in cerebro remanere defendit; ideasque, nullo alio modo revocari, nisi hoc, ut anima ad impressiones, olim factas, iterum dirigat attentionem suam. Huic sententiae diserte repugnat Malebranchius, qui, cum pro systemate suo, quidquam a corpore accipere animam, negaret, contra hanc

in

in primis pugnabat sententiam: nimirum animam ideas acquirere per considerationem vestigiorum in cerebro relictorum; hoc nixus argumento, quod anima horum vestigiorum prorsus conscia non sit. Ipsum audiamus o):

Desque, inquit, l'ame recoit quelques nouvelles idées, il s'imprime dans le cerveau de nouvelles traces, et desque les objets produisent de nouvelles traces, l'ame recoit de nouvelles idées. Ce n'est pas, qu'elle considère ces traces puisqu'elle n'en a aucune conoissance. Deinde: il n'est pas concevable; que l'esprit recoive quelque chose du corps, et qu'il devienne plus éclairé qu'il n'est, en se tournant vers lui, ainsi que les philosophes le prétendent, qui veulent que ce soit par conversion aux phantômes, ou aux traces du cerveau, (per conversionem ad phantasmata) que l'esprit apperçoive toutes choses.

Ab auctore verò libelli supra laudati, principia conjunctionis idearum sic definiri, ut ex utroque, cum corpore, tum anima petenda sint, alterum, et quidem primarium ex anima, alterum secundarium, illi gravitate fere non cedens, ex corpore, partim ex superioribus liquet, partim ex eis, quae de associatio-

nis

o) rech. de la ver. T. II. ch. V. f. 1.

nis natura fufius difputat, facile cogitur, et quidem hoc modo:

- a. Relationes, quibus inter fe gaudent fenfationes, diverfae, vel per modum, quo oriuntur, vel per conditiones, quibuscum fimul adfunt, vel denique per effectus, quos in anima producant, copula quadam ideas devinciunt, ita ut hae mutuo fe revo-care valeant. Neque ulla datur inter ideas conjunctio, praeter eam, quae eft in conditionibus, quibus ortae funt.
- b. Anima revocare non potest certam ideam, nifi verfatur circa aliam, cui ad iftam habitus quidam competit.
- c. Plures ideae fere femper in anima adfunt; quarum una fi poftea rurfus occurrit, nonnullas ex eis fecum adducit, quibuscum fimul in anima adfuit.
- d. Succelfio quaedam idearum, cum originem caperet, continuo fibrarum motu abfolvebatur; ac fi aliquam hujus motus partem iterum inftaurandi potestas fit animae, ad integrum fimul motum, ideoque integram idearum fucceffionem revocandam eft propenfa.

Cum

Cum enim omnes ideae ex motu quodam in cerebro primam originem ducant, a vero alienum non esse videtur, eodem etiam motu reditum earum institui, pararique.

Ipse sibi objicit auctor, cujus nomen ignoramus, non parum difficultatis inde nasci, quod cerebri mollities a retinendis impressionum vestigiis abhorreat. Unde forte factum est, ut, cum antea per meram animae attentionem, ad vestigia conversam, effici associationem idearum statuisset, jam motu quodam opus esse contendat, ab anima excitando (d). Quidquid horum largientibus quaestio relinquatur: quibus rebus impellatur anima, ut ad vestigia relicta attentionem dirigens motum producere studeat, cujus continuatione opus esse asseritur (d) ad revocandam in mentem idearum conjunctarum feriem.

§. 16.

Hanc argumentandi rationem maxima ex parte secutus Bonnet, praesertim hac sententia ab ista discrepat, ut similium idearum singulos complexus singulis fasciculis fibrarum adhaerere velit. De qua quidem sententia supra
dis-

disputavimus (§. 7. aa.), nec est, quod hoc loco copiosius addamus.

§. 17.

Quam maxime ab his dissentit Homius, qui explicationem rei mechanicam prorsus respuens, ex animae natura, quam praeclare noverat, principia rei istius rite cognoscendae haurienda esse, non inficiatur. Antequam vero iudicium nostrum de ipso proferendi, periculum faciamus, ipsas liceat leges enarrare, quas phantasiae latas esse voluit, hoc fere modo disputans :

- a. Causa efficiens ac effectus certo inter se utuntur habitu, suntque invicem connexa. Quare sit ut causae efficientis idea, associatione conjungatur cum idea effectus.
- b. Quaedam res *a b c* hac ratione sunt dispositae, ut juxta se in spatio coëxistant, Hanc eandem ob causam *a b c* in phantasia concurrunt.
- c. Quaedam res successione se excipiunt, ac eadem in phantasia successione se invicem sequuntur.

Hanc

Hanc vero legum phantasiae descriptionem a subtilitate philosophica forsitan paulisper recedere, negari non potest. Primam enim, tertiam et quartam legem sub secunda comprehendi, in aprico est. Sed Homius hoc fere cognoscendi principio usus fuisse videtur, ut leges associationis rationibus accommodaret, quae inter res, per se spectatas, obtinent.

Iam vero res vel similes sibi sunt, vel non sunt; istarum ideas associatione conjungi, docet experientia; harum, si prorsus contrariae sint. Res porro non similes vel juxta se positae sunt, vel non juxta se; sin illud, vel in spatio coëxistant vel successione sese excipiunt. Inter utrasque vero, vel simul obtinet nexus effectivus, vel non obinet. Cum vero experientia doceat, nexum istum ad promovendam idearum associationem nihil conferre, hanc adesse videmus, licet nexus effectivus non adsit. Caeterum, quam accurate ad indolem humanae naturae attenderit Homius, tot tantaque ejus praecepta, summam istam scientiam non parum redolentia, satis declarant. E quibus hoc loco omittere non possum, quod de differentia inter animas ho-

hominum obvia tradit; hanc nimirum omnem eo [absolui] arbitratur, quod ideae diversimoda successione sese sequantur. En praeceptum subtilissimum! Quid enim? Num alio modo a se differunt homines, nisi cogitando et appetendo? In cogitando autem nulla alia datur differentia, praeter eam, quae diversa idearum successione perficitur, hac lege, ut in mente *A*, idea *b* conjungatur cum *c*, eadem vero idea in anima *D*, cum idea *e*. Quod si in mente utraque excipiat idea *b* per eandem *c*, *A* et *B* cogitando non differunt.

Eodem modo homines et appetendo non differre, quam per eandem diversam successio-
nem idearum, facile largientur omnes, nisi qui singulas appetitiones ideis determinari, inficias ire voluerint.

§. 18.

Ultimo denique loco de sententia Hifsmani V. C., cujus libellum saepius commemoravimus, pauca superesse videntur commemoranda. Ipse a partibus eorum stare non dubitat, qui plures phantasiae leges, easque coordinatas admittunt. Cum enim utraque lex,

G

cum

cum similitudinis, tum coëxistentiae, probata ipsi videatur, novam praeterea addit, experientiam arbitratus phaenomena non pauca exhibere, quae ex neutra illarum explicationem concedant. Ipsum audiamus P). *Ad intelligendam, inquit, rationem, qua sensationes nostrae internae, ac perturbationes animae, alterae alteris socias sese praebent, tertia quaedam lex recte constituatur, cujus elementa proposita sunt a Malebranchio, scilicet organorum internorum conjunctio physica. Qua quidem ex lege solummodo explicari potest, quomodo fiat, ut musica quaedam lugubri, cum tonos inter et affectus nulla plane similitudo intercedat, hominum animi tantopere perturbentur, vel eorum, qui simul cum musica ista nihil unquam percepunt, quod tristitiam movere potuisset. Immo symphonia ista maxime movemur, qua nunquam hucusque aures percussae fuerunt. Itaque vero valde simile est, organa affectuum, cum audiendi organa a natura sic esse conjuncta, ut his certo modo commotis et illa percutiantur. Ac deinde: tam singularis, ait, effectibus competit natura, ut eos secundum legem propriam in phantasia sese excipere, recte suspicando assequi possimus. In corporis partes*
 ex-

P) Hismannus Gesch. p. 86.

externas tantum vim exercent, ut organa etiam interna, quae eisdem moventur, singulari modo afficiantur necesse sit. Diversi affectus diversimode sese declarant, per vultum inprimis, nec non alios motus, et sermonem, qui in aliis prorsus reprimitur et coercetur, in aliis haeret, in aliis denique torrentis instar profluit. Quid? Affectus alius ab alio facillime excitatur, licet neque coëxistentia neque similitudine conjuncti sint. Quo referendum est exemplum de animis, per musicam lugubrem commotis; cujus supra fecimus mentionem.

Vera quidem sunt, quae de effectibus perturbationum in anima disputavit auctor; sed quod deinde adjungit, nimirum omnes istos effectus secundum leges singulares, atque proprias produci, qua ratione ex affectuum natura necessario sequatur, nullus equidem video. Sed paulo uberius de hac re dicendum est.

I. In constituenda tertia phantasiae lege, scilicet internorum organorum conjunctione physica, primum a recta via eo paululum declinasse videtur auctor, quod sumeret

tanquam vera, quae nullo modo sumere licet. Nam

a. primum affectibus proprium agendi modum competere supponit. Cum vero voluntatis commotionibus absolvantur, quae nunquam e cognitione antecedente originem non ducunt, regulis generalibus, ad quas omnis cogitandi atque appetendi facultas dirigitur simul obediant necesse est, nec eas, vel in actionibus, quae speciem maximopere singularem prae se ferunt, transgredi possunt.

bb. In altero quod supponitur, non minus argumenta, quibus probetur, desiderantur; nimirum: animam nostram materia compositam esse, sive, quod idem, facultates ejus omnes corporis quibusdam affectionibus consistere. Quam quidem auctoris sententiam partim colligere licet ex argumentatione ipsius, quam supra enarravimus, partim ex eis, quae ipse disertis verbis profertur. Cum enim ope conjunctionis organorum internorum affectus excitari posse arbitretur per impressiones, nulla vel coëxistentia, vel
fimi-

similitudine eis affines, ac ne olim faltem animum perculserint isti affectus necesse esse stabiliat, nihil impedit, quo minus affectuum naturam, cerebri vel organorum internorum motu quodam constitui, eum arbitratum esse, suspicemur. Neque hac nostra suspicione fallimur. Ipse enim q): *lex, inquit, a nobis lata, philosophis istis arridebit, quos non fugit, animae nostrae facultates omnes intensio-nibus, sive contentionibus organorum quorundam in cerebro consistere, atque ex his ipsis proficisci ideas, judicia, ratio-cinia.*

Cum vero ardua valde atque spinosa sit ista disputatio, quod in extruenda disciplina, de qua loquimur, sibi sum-sit, an omnes auctori largiantur, dubi-tamus,

- II. Si vero ab omnibus, quae hucusque dicta sunt, desistamus, fore tamen arbitror, ut nova phantasiae lege, ab auctore lata, ca-rentes, parum desideremus, quoniam phae-nomena, ad quorum explicationem ab eo adhibetur, ad alias leges, ipsi non minus
pro-

q) *Hifmanns Gesch.* p. 91.

probatas, rite pertinere videntur. Quod ut magis appareat, argumentatio ipsius paulo accuratius examinanda est.

Nimirum si perceptione aliqua, five sensuum commotione, excitari posse existimat affectum animi, isti impressioni, neque coëxistentia, neque similitudine, affinem, ut v. g. luctum per musicam aliquam lugubrem, nunquam hucusque auditam: ante omnia tenendum: est animos eorum, qui tristitia, vel primitiva vel derivativa, nunquam affecti fuerunt, nulla etiam lugubri symphonia commoveri. Testem habemus experientiam. Plurimi enim infantes istius generis harmoniam audientes, non minus gestire solent, ac si fonibus, rhythmobritannico redeuntibus, plecterentur aures. Eodem modo qui luxu quotidiano, epulis profusis, omnisque generis voluptate lascivientes, ab adspicienda aliorum hominum miseria diligenter cavent, ne orphaicis quidem chordis faciles sunt. E contrario musica, quae conjuncta est cum actione tragica, effectum suo raro caret. Qui vero fortuna vexati, fortem et casum suum desolent, affectu summopere perturbantur. Atque

que hoc genus innumera sunt exempla. Itaque in animo antecesserit affectio necesse est, quam sonorum harmonia excitare conamur.

Sin hoc verum est, nulla ratione nova phantasiae lege egere videmur, qua id, in quo haeret auctor, explicemus.

Unamquamvis animae perturbationem signis naturalibus, sibi propriis, se declarare, cum experientia docemur, tum auctorem habemus consentientem. Quae quidem signa, si accurata consideratione perscrutemur, non minus essentialia esse, cum sint naturalia, fugere nos non potest. Il quorum animus laetitia impletus est, alta ac praecipiti voce loquuntur, exsultant, celeriter feruntur gressu; qui vero moerore sunt affecti, lente incedunt, ac submissa voce loquuntur; qui grandia sentiunt, sublimi ore loquuti, corpus totum extendunt, etc. Atque hujus affectus signum naturale, simili, ac ipse affectus, modo compositum esse apparet; neque vero minus in caeteris. Nempe dum laetamur, perfectionem nostram, sive virium nostrarum efficacitatem accomodatam praecipue sentimus; hoc autem

tem fieri nequit, nisi vires re vera se exhibeant efficaces; quod ipsum etiam in voce ac corporis motibus fieri nemo non intelligit. Plane contrarium eis accidit, quorum animus moerore quodam devictus est; ac simili demum ratione de caeteris affectibus potest judicari. Itaque naturalia perturbationum signa simul sunt essentialia, idoque perturbationibus ipsis similia. Quam ob causam hac etiam ratione, sicut quovis affectum signa externa comitantur, his ipsis signis vice versa excitatur et promovetur affectus. In memoriam revocemus sic dictorum pietistarum historiam. Fuerunt qui cum coetus eorum, illudendi causa, adivissent, pio tamen religionis sensu ita corriperentur, ut simul cum eis genua flecterent, quos irridendi, modo coeperant consilium. De artis mimicae utilitate disputans Engel V. C., hanc artem histrionibus commendat eo fine, ut regulas ejus servantes, animae affectionem, saepius desideratam, producere possint. Immo plurima exempla quotidie obviam veniunt; quibus idem doceamur. Difficilis atque morosus, simulac saltantium choris adscribitur vultum mox hilarem praebet; qui pedibus laborat, etsi doloribus non vexatur, eo ipso quod instat eorum, qui viribus destituti sunt, sese movere coactus est, animi hilaritate sensim sensimque privatur. Eadem ratione accidit, ut iter aliquod, in pri-

primis ubi ad finem nobiscum constitutum tendimus, praecipiti potius gressu, quam lente incedentes, facere enitamur. Itaque qui de utroque sibi persuadet, non solum animae perturbationes signis suis naturalibus resuscitari, sed haec illis etiam similia esse, nullus amplius dubitabit, harmoniae musicae eandem in animam vim competere. Imitatur enim affectuum signa naturalia, eoque cum ipsorum natura similitudinem sibi comparat; alioquin enim, teste experientia, perturbationem nullam in anima excitare valet.

Neque contra hanc sententiam multum facere videtur, quod objicit C. Hissinann, nempe plurimas perturbationes chordarum symphoniis exprimi non posse e. g. odium, iram. Verumenimvero, si concedendum hoc sit, eosdem affectus per musicam nullam immediate produci, e contrario docet experientia. Quare non est, quod ad novam phantasiae legem confugiamus, ex qua ejus generis associatio intelligatur.

Ut vero magis pateat, quid de similitudine tonorum et affectuum sentiamus, tria verba insuper addenda sunt. Proficiscitur illa similitudo,

a. ex rhythmō, cujus ictus, legitime redeuntes, successione idearum, quatenus vel urgent se invicem, vel tarde se excipiunt, imaginem afferunt.

b. ex

- b.* ex majori vel minori intensione, qua vis perturbationis, ejusque impetus, atque aestus, ex parte depingitur.
- c.* ex tonorum extensione, cum absoluta, sive majori et minori singulorum tenuitate, tum respectiva, sive generis varietate; hac enim pinguntur affectus, quatenus eis non est objectum determinatum; ista vero, quatenus vel circa res graves, vel leves versantur. Hic effectus augeri, magisque promoveri videtur per diversitatem vocis humanae, quae obtinet inter mares et foeminas, dum his tribuere solemus res leves, illis vero res gravioris momenti vindicare.
- d.* ex intervallis, quorum magnitudo respondet affectus ardori, atque effervescentiae. Quare male actum putamus de musica lugubri, qua saltus multi occurrunt.
- f.* ex harmonia, et melodia; in imitandis sensationibus mixtis, dissonantia (uti dicunt), resolvantur in consonantia. Quare, ubi gaudium simplex, atque purum musica exprimendum est, consilio non satisfaciamus, si multa dissonantia, licet summa arte, consonantibus immisceamus. Repugnat praeter alias rationes, haec, quod musica talis a signorum essentialium natura declinet.

Qui-

Quibus omnibus rite perpenſis, ſic argumentari licet: cuius affectui ſigna naturalia, eſſentialia, in corpore reſpondent; quorum quidem ſignorum ope ipſe affectus excitandus. Ars muſica, naturam eorum imitata, duplici modo affectus producere, dici poſteſt; primum mediate, intercedentibus eorum ſignis naturalibus, deinde immediate, ope ſimilitudinis, quae inter ipſius ſymphonias et affectus intercedit. Itaque ſi muſica quadam perturbantur animi eorum, qui nunquam audierunt chordarum ſymphonias, omne phaenomenon intelligi poſteſt, ex lege phantaſiae jamjam ab Ariſtotele ſtabilita, cui ſimilitudinis lex ſubordinata eſt.

Sed ſi quis dubitare velit de certitudine experientiae, qua nitimur, ſcilicet arte muſica non excitari affectum in animis eorum, qui eodem affectu nunquam commoti fuerint, hoc modo reſponderi poſſe arbitramur. Nimirum ſolius rhythmī, ac modulationis ſonorum ſenſatione, quatenus in ſe, non tanquam ſigna ſpectantur, affectuum diverſorum ſpeciem aliquam oriri poſſe apparet. Rhythmo enim ac modulationi conformiter et ſuccedunt, et informantur in anima ideae. Atque cum in iſtis animae vires vel exerceant aequam efficacitatem, vel non exerceant, aut voluptate afficimur, aut taedio laboramus.

Sententia noſtra de nova phantaſiae lege ſatis expoſita, non omittendum eſſe videtur, ipſum C. Hiſſmannum cum contra ſemet ipſum pug-

pugnet, pro nobis militare. Defendit legem novam, quoniam neutra, neque coëxistentiae, neque similitudinis sufficiat, ad explicandum, quomodo fiat, ut musica, nondum audita, commoveat animum r). Deinde vero diserte fateatur: musicam imitari affectus, eosque, dum imitetur, animis propinare.

III. Unum denique superest, quod moneamus, nempe novam phantasiae legem, C. Hisfmanno probatam, plane convenire cum ea quam Malebranchius commendavit s), ac ita definit, ut vestigia quaedam in cerebro dari, naturaliter colligata, statueret.

r) *Hisfmanns Geseb.* p. 86.

s) Malebr. *recher. de la verit.* L. 2. P. 1. c. 5. f. 2.

Pag. 2 lin. 22 lege: animae, p. 7. l. 20. l. *οίαν*, p. 8 l. 14 l. tanquam, p. 8 l. 14 l. tanquam, p. 9 l. 12 l. Atque, p. 10 l. 14 l. definitivisse, p. 12 l. 2 l. caeterae, p. 13. l. 8. l. tanquam, p. 14. l. 11. l. excitatae, p. 16. l. 2. l. sensibus, p. 16. l. 15. tanquam, p. 16. l. 24 l. associationes, P. 17. l. 20. l. tanquam, p. 18 l. 4. phaenomena, p. 18 l. 7. l. praeceptorum, p. 20. l. 19 l. conjuncta, P. 20. l. 25. l. refuscitari, p. 26. l. 3 l. ferunt, p. 28 l. 19 l. saepius, p. 29 l. 16 l. normam, p. 35 l. 8 l. nonnullis, p. 38 l. 23 l. defigere, p. 38 l. 24 l. phaenomenon, p. 39 l. 10 impressa, p. 44 l. 8 l. relicto, p. 52 l. 11 l. harum, p. 52 l. 11 l. vestigia, p. 53 l. 5 l. eas, p. 53 l. 5 l. phaen, p. 56 l. 29 l. ullius, p. 57 l. 16 l. indicer, p. 57 l. 76 l. eas, p. 59 l. 1 l. phaen, p. 59 l. 8 l. phaen, p. 61 l. 2 l. quarum, p. 61 l. 5 l. tanquam, p. 63 l. 7 l. excitatas, p. 63 l. 9 l. taedium, p. 77 l. 5 l. tanquam.

Fl 1840

ULB Halle


3

005 355 613



m





Farbkarte #13

B.I.G.

DISSERTATIO INAUGURALIS,
EXHIBENS
PARALIPOMENA
AD
HISTORIAM DOCTRINAE
DE ASSOCIATIONE
IDEARVM,

QVAM
EX DECRETO
AMPLISSIMI ORDINIS
PHILOSOPHICI,

7
PRAESIDE
IOANNE AVGVSTO EBERHARD,

PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ET ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS SODALE,
PRO

SVMMS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS,
ERVDTORVM EXAMINI
SVBMITTIT

IO, GEBHARD EHRENREICH MAASS,
HALBERSTADIENSIS.

AD DIEM XXVII OCT. MDCCLXXXVII.
1787

HALAE,
FORMIS IO. GODOF. HELLERIANIS.

